JACOBUS MICYLLUS ARGENTORATENSIS: PHILOLOGUS ET POETA, HEIDELBERGAE ET RUPERTINAE...

Johann Friedrich Hautz




HARVARD COLLEGE LIBRARY
VE RI TAS
HOHENZOLLERN COLLECTION
IN COMMEMORATION OF THE VISIT OF
HIS ROYAL HIGHNESS
PRINCE HENRY OF PRUSSIA
MARCH SIXTH, 1902
ON BEHALF OF HIS MAJESTY
THE GERMAN EMPEROR
PRESENTED BY ARCHIBALD CARY COOLIDGE PH.D.
ASSISTANT PROFESSOR OF HISTORY

JACOBUS MICYLLUS

ARGENTORATENSIS,

PHILOLOGUS ET POETA,

HEIDELBERGAE ET RUPERTINAE UNIVERSITATIS

OLIM DECUS.

COMMENTATIO

HISTORICO - LITERARIA,

QUAM CONSCRIPSIT

JOANNES FRIDERICUS HAUTZ,

LYCEI HEIDELBERGENSIS PROFESSOR.

HEIDELBERGAE,

EX OFFICINA REICHARDIANA.

M. DCCC. XLII.

O Deus omnipotens, fac, Heidelberga perennis
Sit sedes sancti nominis ipsa tui!
Mars, Bellona suis longe absit unguibus, atque
Res Christi crescant, curia, templa, scholae.

JO. HENR. HOTTINGER.

L. S.

Sua cuique esse saeculo, nemo est qui ignoret. Et ea quidem virtutibus non minus, quam vitiis contineri liquet. Talia autem illa sunt, ut vel primo adspectu appareant, vel accuratius inquirentibus patefiant. Nam sive in propatulo ambulant, sive in domibus recondita latent, neque censoris diligentiam fallunt, neque judicis sagacitatem effugiunt. Ac nostrum quidem saeculum, ut alia praetermittam multa, quibus vel laborat malis vel gloriatur bonis, eo inprimis insigne videtur, quod quicunque viri olim vel doctrina literarumque elegantia, vel rerum gestarum splendore, vel novis rebus inventis artibusque excogitatis praeclare tum de aequalibus, tum de posteris meruere, iis debitos jam honores persolvendos esse intellexit. Atque illustrissimos quosque illorum ornatos videmus monumentis, quae vel nostrae erga eos pietatis specimen exhibeant, vel pristinae virtutis memoriam conservent. Qua in re quum tantum tamque laudabile omnium fere videatur esse certamen, num quis forte alienum a saeculi nostri studiis fecisse eum dixerit, qui viri non modo ingenii acumine doctrinaeque copia, sed etiam vitae probitate olim spectatissimi memoriam grato pioque animo recolere instituerit. Talis

vero vir, si quis unquam, **Jacobus Micyllus** fuit, de quo praeclarum illud **Melanchthonis** exstat judicium [1]:

Ingenium probitas artemque industria vincit.

Atque mihi quidem in hoc viro, quum libellum hunc conscribendum susciperem, illud maxime animadvertendum visum est, quod multos olim per annos almam Academiam nostram et virtutibus suis ornavit et operibus auxit. Tanta autem in re cum minime me fugiat, „quid ferre recusent, quid valeant humeri", haud sane indignabor, si quis gravius me et ultra vires onus suscepisse dixerit, modo id sim assecutus, ut mihi ipse non defuisse videar, neve piam quis in me desideret voluntatem.

Jam in **Micylli** vita adumbranda, studiis laudandis, scriptis recensendis, quum amplioribus uteremur copiis, omnes quos licuit fontes adire atque e singulis, quantum e re videbatur, haurire placuit. Atque non solum quae testium fide dignorum commentationes dudum editae suppeditabant, diligentissime congessimus atque multa saepe ad verbum transscripta inseruimus, sed inprimis ea, quae manu scriptis in libris bibliothecae Academicae reperimus, ipsis scriptorum verbis afferenda esse existimavimus.

Et ex ipsius **Micylli** carminibus dissertationi quaedam inserere nec injucundum, nec a proposito nostro alienum visum est [2]. **Haec enim studia**, ut **Cicero** [3])

---

1) Reuter. jubil. colleg. Sapient. p. 17.

2) Majora etiam Micylli poëmata, Heidelbergensis arcis conflagrationem depictam et epistolam ad Melanchthonem versibus scriptam subjuncturus eram, nisi ar

praeclare ait, adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Et de Micyllo poëta si pluribus, quam par erat, verbis disputasse videamur, veniam lectores benevoli dabunt, verborum memores Platonis [4]): Οἱ ποιηταὶ γὰρ ἡμῖν ὥςπερ πατέρες τῆς σοφίας εἰσὶ καὶ ἡγεμόνες. Et equidem Melanchthonis illud [5]) collaudo: „nemo tolerabiliter solutam orationem scribet unquam, qui non multum operae in poëtarum lectionem collocarit."

Juvat hic grato animo referre, quanta humanitate bibliothecae nostrae thesauris uti mihi concesserit Dr. Baehr, bibliothecae praefectus primarius, Magno Badarum duci a consiliis aulae, literarum antiquarum professor publicus ordinarius, ephorus de Lyceo nostro egregie meritus, vir scriptis non minus, quam doctrina clarissimus. Quem virum humanissimum ut grates, quas hic illi persolvo justas ac sinceras, benevolo accipiat animo, rogo atque oro.

Jam si qui eorum, penes quos harum rerum arbitrium est, libelli hujus qualiscunque scribendi consilium com-

---

ctiores fines, quibus in ejusmodi libello conscribendo quemvis contineri fas est, obstitissent.

3) Pro Archia cap. 7.

4) In Lyside ed. Bip. p. 233.

5) In praefat. Micylli hodoeporico praem., Micylli Sylvv. librr. V. conjunctim edit. p. 188.

probarint, meque opusculum viro tanto haud indignum scripsisse judicarint, eodem modo quo nunc de Jacobo Micyllo egimus, etiam de Guilielmo Xylandro, de Petro Lotichio Secundo et de Paulo Melisso Schedio, de quibus jam multa collegimus, disserere constituimus.

Tu autem, benevole et candide lector, vale et conatui nostro fave.

Scribebam Heidelbergae mense Septembri 1842.

Ad illustrandam Jacobi Micylli historiam his potissimum scriptis usi sumus.

Acta ordin. philosoph. Universitat. Heidelberg. *mnscr.* F.
Adami, Melch., vitae Germanorum philosophorum. Francof. 1705. F.
Annales Universitatis Heidelberg. *mnscr.* F.
Baillet, Adr., jugemens des savans sur les principaux ouvrages des auteurs. T. III. et IV. Amsterd. 1725. 4.
Barthii, Casp., adversaria. Francof. 1624. F.
Bayle, Pier., diction. histor. et crit. Amsterd. 1740. F. s. v. Micyllus.
Biographie universelle. Paris 1821. 8. s. v. Mic.
Bouginé, K. Jos., Handb. d. allgem. Literaturgesch. nach Heumann's Grundr. B. II. Zürich 1790. 8.
Burckhard, Jac., de ling. lat. in German. per XVII saecc. amplius fatis. P. I. et II. Hanov. 1713. 8.
Camerarii, Joach., de vita Philippi Melanchthonis narratio. Rec. G. Th. Strobelius. Hal. 1775. 8.
Conringii, Herm., de scriptorr. XVI post Chr. nat. saeculorr. commentar. Wratislav. 1727. 4.
Crassus, Laurent., Istoria de Poeti Greci e di que che'n greca lingua han poetato. Napoli 1678. F.
Eberi, Pauli, calendar. historic. Vitemb. 1579. 4.
Fladii, P. W. L., tentamina prima de statu literario et eruditis, qui in Palatin. Elector. per III fere saecula floruerunt. Heidelb. 1761. 4.
(*Frankii*, J. M.), catalogi biblioth. Bunav. T. I. vol. II. Lips. 1751. 4.
Freitagii, Frider. Goth., apparatus literarius. T. III. Lips. 1755. 8.
Gesneri, Conrad., epitome biblioth. conscr. primum a Lycosthene, recogn. et locupl. per Jos. Simlerum. Tigur. 1555. F. s. v. J. Mic.
Ejusdem biblioth. amplif. per J. Frisium. Ibid. 1583. F. s. v. J. Mic.
Gundling, Nic. Hier., vollständige Historie der Gelahrtheit. Th. II. Frankf. u. Leipz. 1734. 4.
Gyraldi, Lil. Gr., opera, dialog. II. de poëtis. Lugd. Bat. 1696. F.
Hagii, Jo., vita Petri Lotichii Secundi. s. l. 1609. 8.
Hallam, introduction to the literat. of Europe in the 15th, 16th and 17th centuries. P. I. Paris 1837. 8.
Heilbronneri, Jo. Christ., histor. mathes. univ. Lips. 1742. 4.
Historia Universitatis Heidelberg. *mnscr.* F.
Hofmanni, Jo. Jac., lexic. univers. Lugd. Bat. 1698. F. s. v. Mic.
Hottingeri, Jo. Henr., orat. saecul. de colleg. Sapient. Access. notae ejusd. de Heidelb. Academ. origine, progressu, privilegiis etc. Heidelb. 1656. 4.
Ejusdem histor. ecclesiast. novi Testam. saeculi XVI. P. II. Tigur. 1665. 4.
Jöcher, Christ. Gottl., allgem. Gelehrten-Lexicon. Leipz. 1751. 4. s. v. Mic.
Fortsetzung und *Ergänzungen* zu diesem Werke von J. Chr. Adelung u. H. W. Rotermund. Bremen 1813. 4. s. v. Mic.
Iselin, Jac. Christ., allgemein. histor. u. geograph. Wörterb. Basel 1726. F. s. v. Mic.

Justi, Wolfg., series omnium Academiar. Francof. ad Viadr. 1554. 8.
Kayser, Joh. Pet., historischer Schauplatz der Stadt Heydelberg. Frankfurt 1733. 4.
Königii, G. Matth., biblioth. vet. et nov. Altdorf 1678. F. s. v. Mic.
Lersner, Achill. Aug. v., Chronica der Stadt Franckfurth a. M. Th. II. Anhg. Franckf. 1734. F.
Lizelii, Georg., historia poëtarum Graecorum Germaniae. Francof. et Lips. 1730. 4.
Lotichii, Jo. Petr., bibliothec. poëtic. P. III., in qua Germaniae et Belgii poëtae celebriores singulis tetrastichis singuli recensentur: una additis (velut in compendio) eorundem vitis, natalibus et emortualibus. Francof. 1626. 8.
Mencken, Joh. Burch., Gelehrten-Lexic. Leipz. 1715. 8. s. v. Mic.
Molleri, Jo., homonymoscopia historico-philologico-critica. Hamburg. 1697. 8.
Moréri, Louis, le grand diction. histor. Amsterd. 1740. F. s. v. Mic.
Monumenta pietatis et literaria viror. illustr. selecta. Francof. 1702. 4.
Pantaleonis, Henr., prosopograph. heroum atque illustr. viror. tot. German. T. III. Basil. 1565. F.
Purmann, Joh. G., histor. Nachricht vom Ursprung u. Fortgang d. Gymnas. zu Frankf. a. M. Frankf. 1779. 4.
Reuteri, Quirin., jubilaeus primus collegii Sapientiae. Heidelb. 1606. 4.
Riesmannus redivivus de Principum Palatinor. origine. Ed. Jo. H. Andreae. Heidelb. 1787. 4.
Saxi, Christoph., onomastic. literar. s. nomenclat. histor.-crit. P. III. Traj. ad Rhen. 1780. 8.
Scaligeri, Jul. Caes., poëtices libri VII. s. l. apud Petr. Santandr. 1594. 8.
Schwabii, Jo., syllabus rectorr. Heidelbergg. P. I. et II. Heidelb. 1790. 4.
Spachii, Jsr., nomencl. scriptorr. philosoph. et philolog. Argent. 1598. 8.
Struve, Burk. Gotth., Pfälz. Kirchenhist. Frankf. 1721. 4.
Teissier, Ant., les éloges des hommes savans, tirez de l'histoire de M. de Thou. Leyd. 1715. 12.
Vossii, Gerard. Jo., de artt. et scientt. natur. ac constitut. libri V. Amstelod. 1696. F. (Opp. T. III).
Wundii, Car. Cas., programma de celeberr. quondam biblioth. Heidelb. Heidelb. 1776. 4.
Ejusdem programma memorabill. ordin. philosoph. Heidelberg. P. II. Heidelb. 1783. 4.
Wund, Fr. Pet., Beiträge z. d. Gesch. der Heidelb. Univers. Besonders genaue Nachricht v. d. Reformat. dieser hohen Schule unter dem Kurf. Otto Heinrich i. J. 1558 aus einer seltenen Handschr. Mannheim 1786. 8.
Wundt, Dan. Ludw., Magazin für die Kirchen- u. Gelehrten-Geschichte des Kurfürstenth. Pfalz. B. I. u. II. Heidelb. 1789. 8.
Wundt, Fr. Pet., Geschichte u. Beschreib. d. Stadt Heidelberg. Bd. I. Mannheim 1805. 4.
(*Zedler*, Joh. Heinr.), Universal-Lexicon. Leipzig u. Halle 1739. F. s. v. Mic.

Rerum Palatinarum primis saeculi XVI. decenniis qui fuerit status, ex Ludovici Principis Electoris vita ac rebus gestis, quas historia prodidit, luculenter patet. Palatinatus splendorem et opes, quas Fridericus, Victoriosi cognomine clarus, tam armis quam pace acquisiverat, bellum illud, ineunte saeculo XVI. ob successionem Bavaricam infausto omine susceptum, infeliciter confectum plane prostravit. Civitatem calamitate illa afflictam ut erigeret, et egestati publicae, belli cladibus illatae, succurreret, Ludovicus V., qui Philippum patrem anno 1508 Palatinatu exceperat, summa enixus est industria, ut domi quietem, in administranda re publica parsimoniam, foris pacem et sinceram erga omnes amicitiam conservaret. In iis igitur, quae Lutheri reformationem sacrorum vel antecessere vel consecutae sunt, turbis se praestitit moderatum pacis sectatorem [1]; injurias pati quam inferre nisi graviter lacessitus maluit, et perraro togam lorica commutavit. Imperatori mitia consilia ingerendo, Principum simultates removendo, religionis dissidia et turbas inde in Imperii comitiis exortas non violenter opprimendo, sed caute de iis transigendo, in omnibus illorum temporum negotiis gravioribus, in quibus vel sapienter consulto vel prudenter facto opus esset, talem se praebuit, ut Pacifici [2] nomine eum ornarent aequales, atque de morte ejus tanquam de pacis quietisque fine Germania uno ore conquereretur.

Civitatem vero, ab hoc Principe gubernatam, nec vehementibus turbis concussam, nec omnino rebus novis esse commotam,

---

1) Struve Pfälz. Kirchenhist. S. 25. Seckendorf commentar. histor. et apologet de Lutheranismo lib III. sect. 4. p. 21.

2) Riesmann. rediviv. p. 74 sqq.

nemo sane miretur. Lutheri dogmata, quae tum propagabantur, neque caeco odio aversatus, neque nimio studio amplexus, Ludovicus primo quidem avitae religionis res satis constanter tuebatur, mox, ut res poscebant, novarum opinionum sectatoribus haud infensum sese praestabat. Academia autem, quae Heidelbergae olim fuerat instituta, non Lutheranismo tantum, sed omnibus ingenii fructibus, quos recentes in lucem protulerat aetas, vehementer erat infensa. Scholasticorum, quos dicunt, barbariem Academiae professores mordicus retinentes et rerum suarum jam dudum labantium ruinam timentes, tam Reuchlini quam Lutheri conatus infesto animo acceperunt, et humanitatis studiis saeculo XV. praeclare reflorescentibus non minus erant inimici, quam iis, quas Germanorum ingenium patrio sermone tunc excolere coeperat, literis.

Qua in re quid partium studium, quid tenax eorum, quae a majoribus tradita accepimus, cupiditas possit, Academia luculento probavit exemplo, quod, nisi veritas omnibus esset praeferenda, lubenter taceremus. Exeunte enim saeculo XV., sub auspiciis [3] Philippi Principis, qui ab ingenua generosaque animi indole cognominatus est Nobilis et Ingenuus, Heidelbergae floruerunt viri de patria et literis optime meriti, aequalibus acceptissimi, posteris summe venerandi, Rudolphus Agricola, Conradus Celtes, Joannes Reuchlinus, Jacobus Wimphelingius, Joannes Trithemius, Joannes Camerarius Dalburgius, alii. His Academia plane fuit adversa, novum, qui jam florere coeperat, literarum cultum ipsosque cultores magis insectans quam amice adjuvans. Neque prius illa, quae nuper exorta erant humanitatis studia, persequi destitit invidia, quam et se magis magisque decrescere et juventutis literarum studiosae frequentiam imminui vidisset. Tum demum Hermannus Buschius et Simon Grynaeus in Academiae collegium sunt admissi, ille ut Latinas, hic ut Graecas literas doceret. Quibus duumviris, si diutius Heidelbergae commorati essent, procul dubio prospere omnia cessissent. Sed adversariorum molimenta repressa magis quam oppressa, mox denuo in eos

---

3) Riesmann. rediviv. p. 62 sqq. Burckhard de ling. Lat. fatis T. I p. 231. T. II. p. 208.

tam vehementer incensa sunt, ut sponte illi anno 1529 ab Academia discederent.

Quo facto quum humanitatis studia cultoribus iterum orbata essent, Academiae moderatores serio virum circumspicere coeperunt, qui inveterato malo mederi posset. Quaerentibus oblatus est Jacobus Micyllus. Quem utrum parem tanto muneri nacti sint nec ne, facile ex iis, quae jam de illo dicturi sumus, dijudicari poterit.

I.

Jacobus Micyllus susceptus in lucem est Argentorati anno millesimo quingentesimo tertio, die sexto mensis Aprilis [1]. Non sine dolore quodam animi hunc jam in primo limine vitae in eorum numerum videmus relatum, qui vitae acerbitatem prius fere, quam dulcedinem experti sunt. Tenerae enim aetatis puero immatura mors eripuit matrem, cujus amissae luctum bonae indolis filius his versibus [2] testatus est lectu dignis:

Vix bene septenos aetas mea fecerat annos,
Cum video matris tristia fata meae,
Unica progenies, patris nutrita senectae,
Et spes, si qua foret, sola futura domus.
Quos ego tunc luctus? quae tempora fleudo peregi?
Quam res haec animo sedit acerba meo?
Sed neque dura movent miserorum fata querelae,
Nec taugunt saevas vulnera nostra deas.

Ut primum patrio in ludo literarum rudimentis, quibus ad humanitatem puerilis aetas informari solet, est imbutus, animo ad graviora studia hac disciplina excitato, vix quindecim annos natus [3],

---

1) **Eber.** calendar. histor. p. 133.
2) **Micylli** Sylvv. lib. I. p. 58.
3) **Melanchthonis** opera ed. Bretschneider P. I. p. CXLVI: *„Quod ne quis miretur, cogitet, illo tempore Academias a Gymnasiis non, ut nunc sunt, satis distinctas fuisse, sed simul*

Germaniae Academias celebriores, Heidelbergensem, Erfordiensem, Vitembergensem aliasque adiit [4]), ubi literis antiquis, praecipue Graecis [5]) egregiam operam navabat. Unde factum est, ut artium magister et poëta insignis constitueretur [6]).

Erfordiae quinquennium fere est commoratus. Studiis enim illo tempore Erfordia praeter ceteras Germaniae scholas cum propter alias opportunitates tum eam maxime ob causam excellebat, quia ibi colendarum initium factum est illarum literarum, quas elegantiores nos sive humaniores appellare consuevimus [7]). Qua de causa vel vetustum atque amicum literatorum hospitium nominabatur. Illic amorem sibi conciliavit et professorum et commilitonum, quos inter unus eminebat ingenio praestans juvenis, Joachimus Camerarius [8]) (nobilis Bambergensis, von Liebhard, qui dicitur Kammermeister [9]), cujus cum Micyllo jam inde ab eo tempore, uti fere semper amicitiae, studiorum et voluntatis consociatione initae omnium dulcissimae et constantissimae sunt, sanctissima animorum erat conjunctio [10]).

Micylli nomen, cum antea patrio et gentilicio cognomine Moltzer [11]), Mölzer [12]) s. Motzler [13]) appellaretur, ex re-

---

Gymnasiorum loco Academias fuisse, ideoque discipulos etiam juniores non, ut nunc, per tres vel quatuor annos in Academiis vixisse, sed plerumque per plures annos, imo per sexennium vel decennium."

4) Bouginé Literaturgesch. B. II. S. 141.

5) Lizel. histor. poëtt. p. 48.

6) Pantaleon. prosopograph. P. III. p. 331.

7) Ullmann. oratio, qua recolitur memoria Jo. Dalburgii. Heidelb. 1840 p. 5.

8) Adam. vitt. Germanorum philosophorum p. 120. Lotich. biblioth. poëtic. P. III. p. 36.

9) Schwarz Geschichte der Erziehung Th. II. S. 286.

10) Camerar. vit. Melanchth. p. 350.

11) Adam. l. l. p. 83. Saxi onomastic. literar. P. III. p. 142. Purmann histor. Nachricht v. Gymnasium zu Frankfurt a. M. S. 13.

12) Schwab. syllab. rectt. Heidelbergg. P. I. p. 110.

13) König. biblioth. p. 539. Bayle diction. histor. et crit. p. 429: „*Moréri dit Moltzel; M. Teissier dans ses additions à M. de*

citato quodam Luciani dialogo Erfordiae [14]) Noster accepit. Dialogum dico, qui ὄνειρος ἢ ἀλεκτρυὼν inscribitur, in quo Pythagoras in gallum mutatus Micyllum [15]) quendam divitiarum vanitatem et paupertatis sorte sua contentae commoda edocet. In ea re scenice agenda Noster Micylli heri somnio oblectati, sed molesto galli domestici obstrepentis cantu expergefacti, iraque perciti personam valde decenter, venuste sciteque gessit tanto auditorum plausu, ut id illi cognomen postea manserit per totum vitae tempus summa cum ingenii et industriae suae commendatione et laude. Quod nomen Micyllus ipse in filiis, ad quos quidem gloriae paternae hereditas perveniret, mutare postea nec voluit, nec fortasse etiam potuit. Mentionem hujus rei ipse fecit in epistola, quae est ad Melanchthonem, his versibus [16]):

Thou: Melcher." Hofmann quoque in lexic. univers. s. v. Micyllus *Melcher* habet. Sed ab omnibus erratum est; Moltzer enim antea sine ulla dubitatione vocabatur.

14) Camerar. vit. Melanchthon. p. 350. Hagius autem (vit. Lotich. p. 20) haec profert: „*Id erat Francofurti, ut ex praeceptore olim communi Joanni Lonizero, Graecas tum literas docente Marpurgi Hessorum, doctissimo philosopho et post theologo, Micylli praecipuo amico, accepi. Interfuit ei actioni tum quoque Lonizerus, ejus rei veridicus testis.*" Contra disputat Purmann l. l. p. 13 his verbis: „*Ich halte diese Erzählung nicht für ganz richtig, weil Micyll schon ein Mann von ausgebreitetem Ruhm und unter diesem Namen bekannt war, ehe er nach Frankfurt kam. Er mag in seinen jüngern Jahren, etwa auf der Schule zu Strasburg, diesen Namen bei einer solchen Gelegenheit bekommen haben, und weil die damaligen Gelehrten überhaupt die Mode hatten, ihre deutschen Namen in Lateinische und Griechische zu verwandeln, so behielt unser Micyllus hernach nicht nur selbst diesen Namen bei, sondern brachte ihn auch auf seine Kinder.*"

15) S. Bayle l. l.: „*Je mets partout Micyllus, quoique je sache que d'Ablancourt, qui a dit Micyle dans sa traduction de Lucien, a été approuvé par Menage.*" Lotich. bibl. P. III. p. 48.

16) Sylvv. lib. I. p. 24.

Fortuito [17]) quondam Micylli nomina casu
Repperi, et in mores transiit ille meos.

Studiorum spatia in Academiis, quas diximus, Micyllus cum decurrisset, per Mysos, Francos, Noricos campos iter literarium suscepit, quo peracto, in schola Heidelbergensi, solo Pantaleone [18]) teste, publice docens magnum sibi et pietatis et eruditionis nomen comparavit. Quod cum Francofurtenses cognovissent, liberali illum stipendio ad se vocatum, scholae suae regendae praefecerunt [19]). Factum est hoc anno 1527, ut omnes testantur scriptores, uno excepto Purmanno [20]), qui annum 1526 commemorat. Hac in urbe vir clarissimus pueros et moribus optimis imbuit, et literis Latinis Graecisque instituit, omnibusque modis munere suo honorificentissime functus est.

Ex magno numero discipulorum, qui e Micylli schola prodierunt, inter alios praecipuis laudibus eminuere Zacharias Monzer [21]), Matthias Ritter [22]), Joannes Fichard [23]), JCtus Francofurtensis, Petrus Lotichius Secundus, qui, Gerardo Joanne Vossio judice [24]), elegiis condendis

---

17) Bayle l. l.: „*Il y a dans Moréri fortitudo, au lieu de fortuito, ce qui a été corrigé dans l'édition de Hollande par ludendo.*"

18) Prosopograph. P. III. p. 331.

19) Vömel Jubil. des Gymnas. in Frankf. a. M. Frankf. 1829 S. 5.

20) Purmann l. l. p 14: „*Micyll verschrieb sich der Stadt auf 6 Jahre zu dienen. Nach Ablauf dieser 6 Jahre (1532) verschrieb er sich noch auf einige Zeit.*"

21) Periandr. Germania p. 377.

22) Lersner Chronica Th. II Anh. S. 212.

23) Ibid. p. 210. — Ne quis confundat doctissimum hunc et auctoritate amplissimum JCtum cum poëta ejusdem fere nominis, Joanne Fischarto eodemque juris doctore, qui satyrico poësis genere sub finem saeculi XVI. floruit multaque scripsit et vincta et soluta oratione. Cf. Gervinus Geschichte der poëtischen National-Literatur der Deutschen 2te Ausg. Leipz. 1842. 8. S. 116. 125. 599.

24) De artium et scientiarum natura p. 86.

exsuperabat Germaniam universam. Qui idem postea Micyllum praeceptorem omni pietate ut parentem carissimum colens, grata memoria est prosecutus pluribusque carminibus [25]) elegantioribus, quae exstant, posteritati commendavit.

Peregrinationem suam ipse Micyllus his versibus [26]) non illepidis memoriae prodidit:

— externas patria procul actus in oras,
Ignotas profugi more pererro domos.
Namque et Turinga, studiis secretus, in urbe,
Quam secat exiguo lenis Hiera vado.
Dura fere toto transegi tempora lustro,
Dum sequor Aonii sacra deosque chori,
Et mox Saxonicos ultra provectus in agros,
Albis ad Arctoum qua mare tendit iter.
Otia dura quidem, sed non ingrata peregi,
Pars quota Pierii factus et ipse gregis.
Ut taceam Mysos, Francos et Norica regna,
Et vos quos primis alluit Ister aquis.
Omnes quas longo terras peragravimus aevo,
Dum tandem ventum est ad vada, Moene, tua.
Hic demum lacerae statio patefacta carinae,
Et spatium fessis ventus et unda dedit.
Hic nos tunc primum juvenes aetatibus ambos
Junxerunt thalamo fata Deusque novo.

Anno 1527 quum sedem stabilem et domicilium Francofurti ad Moenum collocasset, in scito et, nisi fallor, venusto carmine ad Eobanum Hessum (Göbbchen) [27]), Joachi-

---

25) Petr. Lotichii poëmata ed Friedemann. Lips. 1840. Elegg. I, 1. IV, 2. VI, 29.

26) Sylvv. lib. I. p. 59.

27) Laus ejus legitur in Sylvv. libr. I. p. 27. lib. III. p. 203, epigrammata in ejusdem epistolas atque in Iliada ibid libr. IV. p. 282. Carmen in eum scriptum atque epitaphium illius ibid. libr. IV. p. 422 sqq. reperies. Ejusdem epistolam ad Micyllum datam, quae lucem publicam nondum viderat, edidit Kraft in libello, quo ad scholae solemnia celebranda invitat. Hamburg. 1842. p. 17—19. De Eobano Hesso conf. ibid. p. 47 sqq.

mum Camerarium et Micalum Rottingum misso, Norimbergae tum in otio literato degentes [28]), haec [29]) ipse de se praedicat:

— ubi flavicomus pandit sua cornua Moenus,
Et vada Francorum flumine nota petit,
Sedulus hîc vestri subeo vestigia gressus,
Ac doceo parvam parvus et ipse scholam.
Quae licet in tenui spes hîc mihi pascitur herba,
Atque hujus longae tempora messis eunt:
Semen idem tamen est quod ego, quod mittitis ipsi,
Excepto quod vos spargitis uberius.
Vos pleno passim diffunditis omnia cornu,
Ipse levi facio munera parva manu.
Sed tamen exigui cultus laudatur agelli,
Interdum et parvis spes bona rebus inest,
Atque utinam fortuna velit durare secunda,
Et pergant dignis haec nova coepta modis.

Anno 1531, die XXIII. mensis Octobris accidit, ut professoris munere in Academia Heidelbergensi sese abdicaret Joannes Sinapius [30]), qui Simonis Grynaei [31]) Basileam lautioribus conditionibus anno 1529 humanissime invitati, in literarum Graecarum professione successor, huc venerat, supremaque in philosophia laurea decoratus, atque anno 1529 in senatum ordinis philosophorum receptus, Graecas literas publice hîc docere coeperat. Post Sinapium linguae Graecae professio extra ordinem Joanni Wernhero Themarensi [32]), artium liberalium magistro et J.

---

28) Adam. l. l. p. 83.

29) Sylvv. lib. IV. p. 421.

30) Annall. Academ. T. V. fol. 279. b. Acta ordin. philosoph. T. III. fol. 120. b. 121 a. 124. b. Riesmann. rediviv. p. 92 sqq.

31) Oecolampadii et Grynaei epistolae amoebaeae de Grynaei vocatione Basiliensi, quas Gerdes hist. Ref. T. II. p. 144 sqq. inseruit. — In Sylvv. lib. I. p. 25. epicedion in mortem Sim. Grynaei legitur.

32) Annales loco, quem modo memoravimus, Joannem Wernherum *virum probitate morum et cognitione bonarum literarum clarum* nominant.

U. licentiato, hac lege est mandata, ut, si proceres Academiae celebrioris viri vocandi occasionem nacti essent, illi hanc cathedram cederet; nam ordo philosophorum Academiam trium linguarum, Latinae, Graecae, Hebraeae studiis ornari atque amplificari voluit.

Quae quum ita essent, Micyllus, qui juvenum ingeniis atque animis egregie excolendis jam laudem bene meritam consecutus erat, quique Francofurti scholasticis laboribus obruebatur [33]), Graecarum literarum professionem in Academia nostra, Sinapii aliorumque amicorum opera atque commendatione adjutus, obtinere cupiebat.

Qua de causa, commendaticiis literis a Philippo Melanchthone acceptis, quocum vetus ei erat amicitia [34]), mense Aprili anni 1532 Heidelbergam Micyllus se contulit, minus propitio Ludovico V. Principe, qui dicebat, *se non posse sectae Lutheranae* [35]) *professores alere et tolerare* [36]). Atque fuerunt inter proceres Academiae, qui Joanni Wernhero linguae Graecae professionem relinquendam statuerent, dicentes:

---

33) Pantaleon. l. l. Purmann l. l. p. 15. „*Ob aber Micyll damals allein die Unterweisung unter sich gehabt habe, oder ob ihm noch einige Gehülfen zugegeben waren, kann ich nicht mit Gewifsheit sagen. Ich finde nirgends, dafs er Gehülfen gehabt habe; ja da in der Lebensbeschreibung des berühmten Fichard's keines andern Lehrmeisters, dessen Unterricht er genossen habe, Meldung geschieht, so sollte man ehe das Gegentheil vermuthen.*"

34) Camerar. vita Melanchth. p. 349. Alting. histor. eccles p. 148. Melanchth. in praefat. Jac. Micylli hodoeporico praem., Sylvv. librr. V. conjunctim edit. p. 186. Sylvv. lib. I. p. 16 sqq. (Micylli epist., quae est ad Melanchth.)

35) Hottinger hist. eccles. saec. XVI. p. 661 sqq.: „*Micyllus de Lutheranismo erat suspectus.*" Scripserat in Zwinglii ignominiam hoc chronodistichon:

OCCUBUIt patrIo beLLator CIngLIUs ense,
Et pressa est arMIs gens popULosa sUIs.

Cui, quod sequitur, Hermannus Buschius opposuit:

Occubuit justus saevorum Zuinglius ense,
Notus es et nugis, vane Micylle, tuis.

36) Alting. l. l. p. 148.

„nequaquam consilii esse, hujus Academiae alumnos opprimere et peregrinos evehere [37]); ast longe plures haud dubie primas statim detulissent Micyllo, nisi Hartmannus cancellarius et Principis consiliarii restitissent. Hinc factum est, ut Wernherus, qui in actis ordinis philosophorum tum demum publicus linguae Graecae professor nominabatur, usque ad mensem Februarium insequentis anni 1533 hanc cathedram retineret.

Permulta hac de re in annalibus Academiae nostrae reperiuntur; nonnulla hoc loco adjicere libet. [37 a])

„Die XIII. Aprilis (1532) audita est petitio Jacobi Micylli, viri in bonis literis et linguarum cognitione laudati, cupientis certior fieri de Graeca lectura pro condigno salario sibi assignanda. — — Tandem ultro citroque jactatis sententiis, resedit Universitas in illa sententia, praedictum Jacobum Micyllum, qui praesto esset in senatu Universitatis adeoque conspectu dominorum — — vocandum. Pro salario Universitas offert annuatim 60 florenos, quo antea Simon Grynaeus contentus fuerat, sed illi, cum in 60 contentari nollet, petiissetque sibi 80 florenos dari, Universitas decrevit, jam nihil amplius addendum. Neque illum sine consensu Principis nostri Illustrissimi aut ejus cancellarii esse assumendum, sitque eidem pro responso dicendum, quod Universitas velit sibi unius mensis spatium respondendi, num aliquid velit addere aut non. Qua responsione contentus discessit.“

„In eodem consessu pro honore Universitatis supradicto Jacobo Micyllo loco donarii decreti sunt 4 floreni, quam pecuniam ipse cum maxima animi gratitudine accepit, mirum in modum Universitatis laudans liberalitatem atque munificentiam, seque illud erga omnes et singulos data occasione summo cum studio promeriturum pollicebatur.“

Res (die XIII. mensis Maii) ad Principis consiliarios defertur [38]) et *„die XVII. Maii senatu Universitatis sub poena statuti ad col-*

---

37) Annall. T. V. fol. 299. b. 300. a.
37 a) Annall. l. l.
38) Annall. l. l. fol. 302 b. 303. a.

legium coacto, accipiunt domini, quid responderit cancellarius ad supplicationem priorum rerum Micylli, eis ab Universitate oblatam, in hunc modum: [39])

„Nec ipsis nec Principi unquam placuisse dogmata Lutheranorum aliorumque novorum doctorum, sed semper cupiisse rempublicam suam literariam immunem et impollutam ab hujusmodi doctrinis esse. At quia Micyllus apud Francofordienses aliquamdiu versatus sit, et ibidem nunc variae sectae dicantur vigere religionis Christianae, adeoque verendum sit, ne hic Micyllus harum quoque sectarum sit studiosus atque cum assumeretur, in republica nostra zizanias sit seminaturus, ob illas atque alias rationes negativum daremus Micyllo.“

Quanto autem honore dignum eundem Academia existimaverit, ex hujus epistola ad ipsum (d. XXIII. mensis Maii) scripta apparet, qua Micyllum de Principis decreto certiorem facit, ubi et haec [40]) legimus:

„Quod superioribus diebus, doctissime simul ac integerrime Micylle, te professorem in Graecis a nobis constitui cupieris, quia id maximi honoris loco habuimus, summam ea res nobis attulit voluptatem; intelligimus, quantum et laudis et incrementi Universitati nostrae accessurum fuerit, si Te Graecarum literarum doctorem nancisci potuisset. Nam ut nihil majus dicamus, Tu fere nunc solus es, absit adsentatio, qui rursum Germanis, multis annis incognitam, reddis cognobilem linguam Graecam, illustras et ornas.“

His senatus literis Micyllus respondet epistola, quae sua ipsius manu scripta glutine annalibus [41]) Academiae est inserta, hacce:

„Clarissimis viris, rectori ac reliquis Heidelbergensis scholae principibus S.

Non omnino secus atque futurum putavi, hoc cecidit, viri ornatissimi, quod tandem mihi respondistis. Videtis enim ea-

39) L. l. fol. 306. a. b.
40) L. l. fol 307. a b.
41) L. l. fol. 308. a.

dem fortuna, quae me hic premit, istic quoque gressus meos sublegisse, quo aequius malum hoc fero, cui jam per tempus assuetus sum. Tametsi mirum mihi fit, quod tum, cum praesens istic essem, nihil de ea re, per quam totam nunc causam hanc eversam esse scribitis, meministis. Potuissem enim tum facile animo consequi hunc exitum, qui secutus est: si audiissem illis hominibus rem committendam esse, qui nostro saeculo haud usquam fere de literis liberalius paulo senserunt. Et fortassis tum de sententia nonnihil remisissem, modo ne in illorum manus incideremus. Sed οὕτω που Διὶ μέλλει ὑπερμενέϊ φίλον εἶναι.

Ceterum, quod operam atque diligentiam in aliis rebus vestram mihi pollicemini, id grato atque lubenti animo accipio. Fortassis enim tempus feret, ut quod nunc non possumus, olim promisso vestro utamur. Valete. Francofurti, ad VII. calend. Junii anno a Christo nato MDXXXII.

V. D.

Deditissimus

Jacobus Micyllus."

Ejusdem reperimus libellum supplicem [42]) Principi datum, qui die V. mensis Decembris (1532) „congregatae Universitati per juramentum ad collegium praelectus est." Dignum, qui integer typis imprimatur, censemus:

„Durchleuchster, hochgeborner Churfürst, gnedigster Her.

Ew. Gnaden syen mein Underthenig willig vnnd geflиessen Dienst allezeit Zuvor.

Gnedigster Her, verschiener Zeit haben die Erwürdigen, hochgelerten und ersamen, meine gonstigen Heren Rector vnnd Universitet diess loblichen Studiums alhie uff mein damals bescheen bitlich ansuchen, Verleyhung halber der Geordenten lecturen in graeca lingua, So diesser Zeit durch keynen ordinarien, son-

---

42) Annall. l. l. fol. 321. a. b.

dern eynen substituten belessen wirdet, mit mir Handlung gepfleget, aber zu keyner wirklichen volziehung komen. Wie wol ich nun andern ortten ziemlich vorsehung und stant gehaben mocht, Aber auss allerhandt beweglichen ursachen vnnd sonderlich umb volfurung meins angefengten studiums willen nirgents lieber dan In dieser Universitet, bevorab derweil Ew. churf. Gnaden dieselbig in gnediger uerwaltung hat vnnd des sich gelerte personen Ires milten bedenckens Hochlichen erfreuen mogen, meine zeit verzeren wolt, So werd ich verursacht Ew. churf. Gnaden undertheniglichen anzusuchen mit hochstem Vleis bittent, Ew. churf. Gnaden geruchen bei obermelten meyner Hern von der Universitet genediglichen zu uerfugen, das sie mir angeregte Lectur, die ich on Rum zu schreyben, stattlichen vnnd der notturfft Zu uersehen weiss, Also das es volgendes Ew. churf. Gnaden Zu gnedigstem wolgefallen vnnd gemeyner Universitet nit Zu geringem ruff, lob vnnd uffnemen gedeyhen soll, gunstiglichen verleyhen vnnd Zusteen lassen. Vnnd wo villeicht als ich besorg In Ew. churf. Gnaden durch missgunst Ingebildt were, das ich der lutterischen sect anhengig sein solt, geb ich diesen Warhaftigen vnderthenigen bericht, das mir solchs gantz Zu unschulden zugemessen. Dan wo dem also, were ich bey einer ersamen stat Franckfort, do ich erlich vnderhaltung gehapt, blyben vnnd wolt wol bei andern ein merer besoldung erlangen mogen. Ich hab bissher mich der theologeien nichts vnderzogen vnnd mit keynerley sect umbgangen, allein bonis literis vnnd meynem fürgenommenen studio angehangen, wie ich auch fürther zu thun gedenck. Bit herab, mich als ein loblich mild churfürst hierjnne mit gnediger antwort Zu bedencken, das erbit ich mich vm Ew. churf. Gnaden, die der almechtig in glücklicher regierung langwerig erhalte, In aller Underthenigkeit williglichen verdienen

Ew. churf. Gnaden

undertheniger
Jacobus Micyllus.“

Senatum ipsum Universitatis adiit per has literas [43]) Micyllus:

„Clarissimo viro domino rectori universoque scholae Heidelbergensis senatui S.

Superiore aestate, ornatissimi viri, cum ipse istuc profectus conditionem Graecae lectionis, quam D. Joanni Themarensi post abitum doctissimi juvenis Joannis Sinapii, ut vicario professori tantisper commendatam audieram, dum alius, qui ei succederet, subrogari commode posset, vobis coram petiissem: responsum (ita ut tum inter nos convenerat) post abitum isthinc meum altero mense accepi, quo vestrum quidem studium mihi deferebatis omnes, conditionemque istam mihi liberos vos collaturos fuisse dictitabatis. Sed per Cl. V. D. cancellarium intercessionem factam esse, qui Illustrissimi Principis Electoris nomine vetuerat, eo tempore quemquam praeter eum, qui huc usque Sinapii vices praestitit, ad Graecae lectionis professionem admitti debere.

Proinde cum ea re ex me cognita amici quidam, qui et mihi factum optime volunt, et cum Cl. V. D. cancellario veteri amicitia conjuncti sunt, quo denuo eandem rem tentarem, adhortarentur, suamque eodem operam polliciti fuissent, quod dicerent, non statim deficiendum esse, si res ut quaeque coepta est, non ita succederet, eorum hortatu, negotium totum hoc ad Illustrissimum Principem Electorem relatum est. Quem quia certo audio ad vestrum arbitrium omnem hanc rem rejecisse, volui denuo vestram erga me voluntatem experiri, et an eadem de recipiendo me quae olim fuit, sententia vestra maneat per literas cognoscere. Feceritis igitur tum dignitate, tum auctoritate vestra dignum, idque etiam ipse a vobis quantum debeo, oratum volo, ut quamprimum fieri potest, de vestra erga me sententia et voluntate, et in summa an tandem et quando, qua etiam conditione recepturi me sitis, certiorem me reddatis. Equidem ipse de me magnifice polliceri neque soleo, neque velim, sed si ope-

---

43) Annall. T. V. fol. 327. a. b.

ram atque studium meum cognoveritis, spero me neque vobis, neque scholae poenitendum fore. Valete. IV. calend. Jan. anno Dom. MDXXXII.

V. D.

Deditissimus
Jacobus Micyllus."

„*Quibus literis auditis placuit rem ad cancellarium referre et illius mentem adcipere.*"

Decretum senatus his verbis [44]) continetur:

„*Decimo octavo Jan. (1533) proposito D. cancellarii super literis Jacobi Micylli, quarum tenor supra patet fol. 327. responso, quod tale erat, ut Universitas in eo negotio, quod vellet, agere posset. Nam Principem non aegre laturum placuit Micyllo rescribere, Universitatem statuisse operam ejus in Graeca lingua profitenda conducere pro 60 aureis annuis; ea si summa contentaretur, quandocunque sibi integrum esset, huc veniret et se receptum iri.*"

Paulo post literae quoque senatus Universatis (d. XXI. mens. Januar. 1533) Micyllo sunt perlatae, ex quibus haec [45]) digna habemus, quae commemorentur:

„*Quae olim nostra de te recipiendo fuit sententia, doctissime Micylle, eam etiam nunc tam non reducimus. Neque enim nostri muneris fore arbitrati sumus diversa a promissis nostris statuere, ut re ipsa certam ac indubiam efficere non sumus veriti.*"

Tum: „*De pretii quantitate non conquereris, scimus maxime, ubi cogitare velis, Simonem Grynaeum, virum undequaque doctissimum, non pluris quam 60 a nobis conductum fuisse.*"

Tum demum superatis tandem omnibus difficultatibus hoc ipso mense Februario, ipsoque die XXII., quo Wernherus munere se abdicavit, Micyllus publicus atque ordinarius Graeca-

44) **Annall. l. l. fol. 329. b.**
45) **Annall. l. l. fol. 331. a. b.**

rum literarum professor est constitutus. In annalibus haec [46]) legimus:

„*Vicesimo secundo Februarii anno quo supra Universitas in sacrario ecclesiae sanctissimae convocata, Jacobo Micyllo, literis et pietate instructo, lecturam in Graeca lingua contulit istis legibus, primum: ut se inscribi matriculo Universitatis faceret, quod eodem die ab eo factum est: ut puncta servanda juraret ab Universitate in rectoratu Martini Frechti decreta, quae sibi in reditum dilata sunt. Et decrevit illi Universitas salarium 60 aureorum, quod a tempore reditus sui currere incipiat.*“

At vero propter salarii tenuitatem Micyllus Heidelbergae diu non est commoratus. Audiamus ipsum [47]):

— mihi nunc surgit pro cara conjuge cura
Atque monent inopem pignora parva patrem.
Millibus et supra triginta pascitur acris,
Qui sua scandenti terga remittit hero;
At sexaginta recipit si forte poëta,
Dicitur hoc ingens apposuisse lucro.

Quatuor vix annis peractis Francofurtum ad Moenum, a senatu benigne ac luculentis conditionibus [48]) invitatus, anno 1537 rediit scholasticum munus denuo auspicaturus.

Qua de re permulta in annalibus nostris reperimus, ex quibus complura digna, quae cum lectoribus communicarentur, nobis sunt visa. Atque collaudandae ipsius potissimum sunt literae, ad rectorem et senatum datae, quibus consilii rationes exposuit

---

46) Annall. l. l. fol. 332. b.

47) Sylvv. lib. I. p. 22 (epist. ad Melanchth.).

48) Purmann l. l. p. 13 et 18: „*Es wurde ihm nunmehr eine öffentliche Besoldung von 150 fl. zuerkannt; ihm auch Vertröstung auf die Zukunft gegeben, und bei der Einweihung des neuen Schulgebäudes wurde ihm zur Verherrlichung dieses Tages ein Reichsthaler verehrt, und ein jeglicher von den obersten Schülern bekam 14 Pfennige, der geringere aber 4 zum Präsent.*“

atque honestam benignamque ab Academia missionem Micyllus petiit hisce verbis [49]):

„Magnifico ac domino rectori et ceteris scholae Heidelbergensis senatoribus, viris ornatissimis ac dominis suis S.

Multis equidem conditionibus, viri ornatissimi, iisque non uno tantum loco propositis, jam pridem ab aliis invitatus atque hinc avocatus fui, id quod nonnullos vestrum etiam ipsos aliquando audivisse existimo, sed tamen hactenus animum meum haud unquam inclinari, aliove converti passus sum. Semper enim speravi, me in hac schola et in eo statu, quem semel proposueram, et perdurare posse et fortunam studiis nostris aliquando meliorem obventuram esse, verum enim dum dubito, atque ea, quae se ultro offerunt, toties rejicio, interim ipse privatarum mearum rerum dispendium non parvum sentio.

Quid enim aliud in hac tenuitate stipendii cum tanta familia deberem: qui etiam si absque uxore ac solus agerem, aegre tamen pro hoc saeculo, digne ac commode saltem vivere tam parvo possim: deinde autem non eo solum, unde maximum alii fructum percipere solent et ego quoque parare victum institueram, nescio quo fato meo, ita infeliciter utor, ut vel nullum vel perquam exiguum vitae praesidium in eo positum mihi videam. Verum illud quoque intelligo, quod, si a vobis ultra aliquid contendam, atque auctarium aliquod ad vetus salarium adjici mihi postulem, ob temporum difficultates et fisci, quod omnes dictitant, inopiam parum effecturus sim.

Proinde impellentibus ad hoc liberis, quibus uti pluribus subinde obruor, ita maxime prospicere etiam ipsis necesse habeo, et cogente exterarum rerum necessitate, quae maximum, ut dici solet, vinculum est, respicere tandem ad aliena, atque externa auxilia coepi, et quod quisque ve-

---

49) Annall. T. VI. fol. 104. a. b.

strum faceret, fortunam, quae se ultro ac toties offert, repudiare amplius veritus sum; praesertim cum sit, ut ille ait, occasio calva, et semel dimissa non facile iterum revertatur.

Quoniam itaque ad hanc rem et vestro favore mihi opus est, neque enim temere quidquam fecero, ob quod a vobis merito male audiam, peto a vobis, ut quemadmodum olim in recipiendo benevolentiam vestram expertus sum, ita nunc in dimittendo eadem vestra liberalitate uti possim, et quia ab initio inter nos ita conventio fuit, ut tribus antea mensibus, quam abirem, de eo vos certiores facerem, illud quaeso, ut a vobis mihi impetrare liceat, quo sub initium vacationum, quo tempore alioqui publice legi non solet, pacto illo nonnihil relaxato, cum bona vestra gratia discedere libere hinc possim. Nam neque vobis dispendiosum hoc erit, et meis rebus perquam gratum ac commodum hoc facietis.

Neque vero puto, quemquam vestrum consilium hoc meum reprehendere merito posse, quippe quod non privata aliqua offensa, neque ullo vel hominum vel loci taedio affectus, in animum induxi; sed quod sola necessitate compulsus, et quod videbam, ea quae a vestra benevolentia fortassis impetrare potuissem, per temporum iniquitatem negari suscepi. Nam o si fortuna studiis nostris unquam ita sic arrisisset, ut ego, si per exteras mearum rerum rationes mihi liceat, in hac schola et in vestro adeo gremio vitam hanc claudere optarim. Quo vos aequum est, faciliores mihi in hac re minus vestra ac necessitatem meorum saltem, de me ipso nihil addam, agnoscere.

Ego sane, quod ad me attinet, ita, ubicunque fuero, erga vos scholamque vestram me geram, ut quod alumnum fidum ac bonum decet, nihil neque officii neque operae in promovendis et cohonestandis vestris civibus videar omisisse. Datum ad VIII. cal. Augusti.

V. D.

Jacobus Micyllus."

Deinde ibidem [50]) legimus haec:

„Anno quo supra (1537) die Sabbathi XXVIII. Julii lecta est petitio magistri Jacobi Micylli, Graecae linguae professoris, cujus tenor mox sequetur. Et placuit Universitati non facile eundem dimittendum, sed per D. Vitum Haass, theologum et procuratorem fisci, una rectore eidem utrumque persuadendum, quo animum suum immutet et nobiscum maneat, auctarium aliquod stipendio suo pollicendo aliisque rationibus, quibus possemus, ad hoc eum inducendo.“

Tum iisdem in annalibus haec [51]) reperiuntur:

„Anno 1537, die vero quarto Augusti senatu Universitatis per juramentum ad collegium vocato relatum est, quod per doctorem Vitum Haass et rectorem juxta proxime captatum Universitatis conclusum factum sit:

„Nempe Micyllum omnino secum constituisse, ob ra-„tiones exteras in libris Universitatis porrectis allegatas se „a nobis discessurum, nam cum Francfordianis ita conven„tionem inivisse, ut ab eadem sibi non facile liceat discedere. „Et quamvis Universitas eo fortassis in eum sit animo, ut „velit sibi salarium adaugere, se tamen non minus 100 ac„cepturum, atque ea lege, ut de his ad decennium cautum „sit.“

„Qua mente Micylli audita, domini de Universitate fere omnes in ea erant sententia, si vires fisci sufficere possent, sibi salarium ad 100 usque esse adaugendum, quandoquidem autem ob ejus tenuitatem atque multa gravamina aedium exstruendarum hos sumptus ferre non posset, ne tamen ejus abitu respublica nostra literaria patiatur damnum, et ut ipse Universitatis benevolentiam in eum intelligat, conclusit Universitas, adhuc ad pristinum ejus salarium 20 florenos addendos, ita quod in futurum 80 florenos annuos percepturus sit; quos si non velit acceptare, et cum illis

50) Annall. T. VI. fol. 103. b.

51) Ibid. fol. 105. a.

contentari, esse sibi abitum a nobis benignum concedendum ea tamen conditione, ut id fiat adstitu et consensu Principis nostri Illustrissimi.“

Patres Academiae in literis, quibus ad Principem de Micylli animo discedendi referunt, hoc de lingua Graeca judicium faciunt [52]:

„Dieweil aber nun die erfarnus der Kriechischen sprach, daruon das latein ein meren theils sein vrsprung hat, auch Zu erkantnus anderer kunsten vnnd schriften hocherspriesslich.“

Deinde haec [53] in annalibus nostris leguntur:

„Quia Princeps per supplicem libellum de abitu Micylli certior factus et annuerit in ejus abitum, quia 80 annuis florenis pro salario contentari noluit, tum Universitas non potens ei illud salarium ob fisci tenuitatem amplius adaugere, indulsit illi quoque benignum et favorabilem a nobis discessum.“

Postremo [54]:

„Eodem in consessu et consilio (10. Sept.) decretum est, magistro Jacobo Micyllo, Graeco lectori, paranti a nobis abitum esse 20 florenos dandos, idque in batzen, 15 batzen pro 1 floreno computando, a Joannis baptistae usque ad finem ipsarum vacantiarum, eo quod ipse attigerit vacantias.“

Micyllo in Graecarum literarum cathedra eodem anno et mense ab ipso Principe Ludovico successor est datus M. Joannes Hartungus [55], vir eadem quidem doctrina [56] et religione

---

52) Annall. l. l. fol. 107. b.
53) Annall. l. l. fol. 110. b.
54) Ibid. fol. 113. a.
55) Annall. l. l. fol. 114. a. Adam. l. l. p. 139. sqq. Reusner. in iconn.
56) Glareani epistola ad Aegid. Tschudium d. 31. mens. Maii 1557: *„D. Hartungum offendere minime volo, qui est vir doctus et intimus meus.“* Cf. H. Schreiber: Heinrich Lo-

imbutus, sed neque celebritate nominis, neque aliarum virtutum laude illi par, ut res literaria Micylli aliorumque excellentium virorum discessu magnum fecerit detrimentum: de quo ipsum Principem identidem nec leviter conquestum Universitatis acta testantur [57]. Hujus enim Electoris Illustrissimi auspiciis linguarum, inprimis Latinae, Graecae, Hebraeae studia diligentissime coepta erant excoli. Evocaverat Joannem Oecolampadium, qui linguam Latinam, Graecam, Hebraeam profiteretur, simulque libros divinos interpretaretur, Sebastianum Münsterum, Minoritam Augustinianum, qui Hebraeam, Simonem Grynaeum, qui linguam Graecam traderet, item Hermannum Buschium (von dem Busche), qui clarissimus exstitit tum et orator et poëta. Erasmus Roterodamus munus liberaliter ipsi oblatum, ut doctrina sua Academiam illustraret, recusaverat. Neque vero illi viri diutius hîc commorati sunt [58]. Namque Hartungus anno 1546 Heidelberga discessit, multorumque epistolis invitatus Friburgum Brisigavorum abiit, ubi in professorum numerum receptus per reliquum vitae tempus publice et privatim nobilissimos quosque Germaniae adolescentes cum aliis doctrinis, tum Graecis praesertim literis erudiebat [59].

---

riti Glareanus. Biograph. Mittheil. Freiburg 1837. 4. p. 113. Sylvv. lib. IV. p. 291 sqq. in Apollonium Hartungi.

57) Alting. l. l. p. 148. 152: „*Verum tamen cum, declinante magis magisque Academia ob defectum doctorum et celebrium professorum, anno 1539 rogarentur nonnulli consiliarii, ut foris advocarentur magni nominis theologi, responsum est Universitati ab aulae magistro: „Ob man gerne Läuse in den Peltz wolle setzen, da man wohl taugliche bei der Universität hätte.*“

58) Riesmannus rediv. p. 79 et 80. ibique laudata.

59) Adam. l. l. p. 189.

II.

Nec diu post Hartungi discessum, belli Smalcaldici tempore, cum Germania variis quassaretur motibus atque evangelii doctrina Heidelbergae reciperetur [1]), Micyllus, Principis Friderici II., cognomine Sapientis [2]), literis summa cum liberalitate [3]) Francofurto iterum arcessitus, Heidelbergae Graecas literas [4]) die XVIII. mensis Aprilis anni 1547 publice tradendas suscepit. Rector Magnificus erat hoc anno Henricus Stolo.

---

1) **Sleidan.** de statu relig et reipubl. lib. XVI. p. 283.

2) **Riesmann.** rediviv. p. 77 sqq.

3) **Wundt** Magazin Th. I. S. 171: *„Micyllus hatte 150 fl., Erast 180 fl., Cisner (Kistner) 240 fl. und Zanchius 280 fl. Besoldung nebst freier Wohnung. Micyll's Nachfolger, Xylander, erhielt nur 100 fl. ohne freie Wohnung. — Das Fuder Wein kostete damals 10 fl.; das Malter Korn 40 kr.; das Pfund Ochsenfleisch 4 Pfennige; die Hausmiethe 25 bis 30 fl."* — H. **Schreiber** in programmate, quod inscribitur: Matthäus **Hummel** im **Bach**. Freiburg 1833. 4. p. 25. haec profert: *„Die Besoldung (jährliches Leibgeding) des ersten Rectors der Universität in Freiburg, M. Hummel (1457), bestand anfänglich in 70 fl."* Idem **Schreiber** in Glareano suo dicit p. 72 et 75: *„Glareanus hatte im ersten Jahre (1529) seiner Anstellung 42 fl.; doch wurde er schon im nächsten Jahre mit dem gewöhnlichen Gehalte von 52 fl. für die Kanzel der Dichtkunst als ordentlicher Professor angestellt."*

4) **Acta** ordin. philosoph. T. IV. f. 22. b.: *„Decimo quarto calendas Maias (1547) D. Jacobus Micyllus, Graecae linguae professor, vir de politioribus musis optime meritus, in Sophoclis*

Quanto studio atque animo Princeps ipse in Academiam emendandam incubuerit, ex rescripto ad quatuor Universitatis ordines dato, cum terras Electorales anno 1544 gubernare coepisset, optime apparet. Cujus rescripti haec sunt verba [5]:

„*Vnnd wir aber Jezundt Nach Indrettung Unserer Churfürstlichen Regierung an solchen gelärthen, geschickten vnnd woll erzogenen personen nicht geringen abgang vnnd mangell spuren, somit befunden, wo nitt Zeittliches vnnd Stattliches eynsehens beschieht, es Zu noch weyterem abfall vnnd gentzlicher Zerrüttung vnnseres vorgemeldten Studiumbs gewisslichen gelangen thet, Solches so viel müglichem Zufürkhommen, vnnd zu besser Ordnungen zurichten, Bedenkhen wir am fordersten fürderlich zu sein, vns Vrsachen Derselbigen Mengel vnnd durch was fügliche mittel sie gebässert vnnd abgewendt werden mochten, Zu erlernen.*“

Merito igitur hic Princeps in illis patriae patribus est, de quibus Burckhardus [6] dicit: „*Ad Rhenum Palatinatus dominos habebat omni Musarum laude majores: qui literas non solum amabant, sed etiam praeclare intelligebant; ac multa non solum in otio, sed etiam in ipsis negotiis, in castris, inter turbarum atque armorum strepitum legere solebant.*“

Atque Principem in reformando philosophorum ordine studiis et consiliis duorum potissimum virorum, Hartmanni [7] cancellarii et M. Henrici Stolonis, qui tum Theologiae baccalaureus erat et ministri sacrorum munere hîc fungebatur, fuisse usum [8], ne-

---

lectionem principium publice habuit.“ Eum privatim quoque Latinas literas hîc docuisse Julius, filius ejus, (cf. epist. nuncupator. in Sylvv. p. VI.) et Adamus (l. l.) testantur.

5) Acta l. l. fol. 5. b.

6) Burckhard. de ling. lat. fatis. T. I. p. 409.

7) Riesmann. rediviv. p. 84 et 85: „*Hartmannus Hartmanni, dictus ab Eppingen, ob juris scientiam, consilii praestantiam, agendi dexteritatem Solon Palatinus est appellatus.*“

8) Wund memorabb. ordin. philosoph. P. II. p. 19.

quaquam hîc silentio esse praetereundum putavimus. In actis nostris [9]) illorum hunc in modum fit mentio: „*Penes quos viros integerrimos juxta ac prudentissimos hoc tempore Facultatis Artium et collegii Principis reformatio potissimum erat.*“ Iidem hac ipsa actorum pagina domini reformatores appellantur.

Commigrationes suas Micyllus hoc carmine [10]) cecinit:

Bis vitae certos coepi sedemque laremque
Ponere vitifero margine, Moene, tuo:
Bis redii infelix mutatis cursibus aevi,
Huc ubi liberior Nicer in arva ruit.

Neque illi loci natura atque hominum mores displicuerunt. Argumento quidem hi sunt versus [11]), quos ex epistola, quae est ad Philippum Melanchthonem, sumtos neminem nostratium legisse poenitebit:

Est locus angustum longe tenuatus in arcum,
Clausa jacent imis moenia parva jugis;
Hinc vagus aequatos exit jam Nicer in agros,
Montibus emissus, Martia sylva, tuis.
Et vetus in summo castellum vertice pendens,
Collectae quondam nomina gentis habet.
Illinc ingenti surgunt pallatia muro,
Nec timet iratum machina saeva Jovem.
Quam super antiqua turris procul eminet arce
Pallatinorum regia prisca ducum.
Huc ego cum natis tribus et cum conjuge vectus,
Hac posui sedes in regione novas,
Illaque praeteritis frustra captata sub annis
Munera fortuna jam meliore gero.

Et quae infra sequuntur [12]):

Non schola, non homines, studiorum turba meorum,
Nec locus ingenio dissidet iste meo.
Adde etiam mores urbis, vitamque togatam
Et populum nulla rusticitate gravem.

---

9) Acta l. l. fol. 22. b.
10) Sylvv. lib. I. p. 60.
11) Ibid. p. 18.
12) Ibid. p. 20.

Quodque illinc alti praecingunt omnia montes,
Et crebro viridis fonte madescit humus.
Illinc prospectus aperit se campus in omnes,
Et late cultis aequora plana patent,
Quorum quae primos attingunt proxima colles,
Lenaea passim consita vite rubent.
Cetera, qua pingues iterantur vomere sulcis,
Horrea mille replent frugibus arva suis,
Quae late placido peragrantur flumine Nicri,
Et tractu gaudent molle fluentis aquae,
Donec fluctivagi miscentur cornua Rheni,
Defunctumque vadis excipit ille suis:
Qualia Pegasides loca possedisse sorores
Nunquam, vel certe non meliora puto,
Et poterunt terris aequari haec laude vetustis,
Sive tuis, Helicon, Attica, sive tuis,
Si non has Danai celebrasset fama coloni,
Dum nostra obscura nocte sepulta latet.

Ac si qui sunt, qui humanitatis studia a nostra juventute nimium negligi doleant, ii inveteratum esse hoc malum, atque illa aetate, qua Joachimus Camerarius, Philippus Melanchthon, alii docebant, has literas non majore quam nunc studio et amore esse cultas, discant ex eadem Micylli epistola [13]) ad Melanchthonem missa:

Aspicio miseras omni sine honore Camoenas,
Ante leves vulgi turpe jacere pedes.
Nam quotus est, aliquem veterum qui noscere vatem
Nunc velit, aut dignum laude poëma putet?
Aut quotus est, studio qui vel Demosthenis ora,
Vel tua, Marce pater, liberiore colat?
Cum Latiis aeque videas sordescere Graecos,
Hei mihi! barbariae quanta fenestra patet!
Ille ferox totum juvenis, qui terruit orbem,
Sub mediis armis natus Amyntiades,
Carmina Pieridum, dum cingitur ense, legebat
Ipsa, jubens vatum castra sonare modos.
Idem cum fessus peteret post proelia somnum,
Indormisse operi fertur, Homere, tuo.

---

13) Sylvv. lib. I. p. 20 et 21.

At nunc quis tantum vel longa per otia vatem
Adspicit, aut veterem denotat ore librum?
Bartolus et Baldus, Speculum, Salicetus et Abbas
Et male currendo qui leve fecit iter,
Quorum, ceu nostri quidam modo dixerat aevi,
Nomina sunt ipso paene tremenda sono.
Hi sunt, qui manibus passim volvuntur, et inter
Vilia chartarum scrinia regna tenent.
Hos amat, hos gremio circumfert stulta juventus,
Hos tanquam divûm numina certa colunt.
Et merito, quis enim solum nunc quaerit honestum?
Virtutem pretium vel putat esse sui?
Lucrum est, quod petitur, magnique salaria census,
Aureaque ista licet saecula jure voces.

Quantum ex hoc tempore Academia et inprimis philosophorum ordo summae Micylli doctrinae aliisque virtutibus tribuerit, acta nostra plane docent. Atque senatorum ordinis philosophici collegium tanto eum favore in numerum suum recepit, ut simul statueret: „*Hunc virum in molestioribus Facultatis negotiis praeter ejus voluntatem minime gravandum ac primo post seniores licentiatos in consessu loco esse honorandum.*“ [14])

„*Anno 1548, mense Martio, die XXI.*, ut acta [15]) nostra tradunt, *cum ex ea dispersione, quae superiore aestate pestis causa fuerat, reliquiae prioris scholae in unum rursus convenissent, congregatis ad hoc quotquot ad eum ex collegio Facultatis Artium redierant, omnibus suffragiis communique consensu decanus creatus est Jacobus Micyllus.*“

„*Anno 1549 septim. id. Januar.*, ut ipsis actorum verbis [16]) utar, *Geiselbachius et Laetus, item Micyllus quoque et ego* (decanus Obsopoeus) *bibliothecam Facultatis ingressi sumus, ubi libros inspeximus.*“

Eodem anno Micyllus erat inter senatores Facultatis Artium [17]).

---

14) Acta laudata fol. 23. b.
15) Ibid. fol. 27. a.
16) Ibid. fol. 31. a.
17) Ibid. fol. 35. a.

Ejusdem anni die XVI. mensis Augusti carissimam conjugem quadraginta annos natam morte amisit [18]). Quam defunctam poëta noster ita plangit [19]):

Desinite, o miseri, superos urgere querelis,
Et lacrymis tumulum sollicitare meum.
Frustra est, quae rebus querimonia sumitur istis,
Fata Deûm nulla stant revocanda prece.
Sed potius subeat, quanto discrimine rerum
Dividitur nostro vester ab orbe locus,
Et Domino casus tandem permittite vestros,
Discite et haec aequa funera mente pati.
Tempora perpetuo peraguntur vestra labore,
Otia nos nullo fine domanda levant.

Multa et inveterata philosophorum ordinis mala sua maxime auctoritate Micyllus sustulit, idemque ne nimis facilem hic ordo in largiendis philosophiae gradibus se praeberet, admodum annixus est; tam profusa enim iste munificentia decernere consueverat, ut periculum esset, ne honorifica illa magistri appellatio prorsus evilesceret. Quod dedecus ut averteretur, nonnulla „in examinibus promovendorum" observanda proposuit, quae senatorum reliquorum auctoritate sunt sancita [20]).

Qua de re in actis haec [21]) leguntur:

„Micyllus multa gravissime de neglecta disciplina morum et studiorum nostrorum contemptu, etiam apud eos, qui nostri ordinis facilitate titulos adipiscerentur, concionatus fuit. Eos enim praeceptorum animadversione liberatos, et dissolutius ut plurimum vivere, et humanitatis artes, usitato ignorantium more, postea contemptius habere. Proinde etiam non nostri modo superiores et oppidi cives, sed et passim exteri disciplinam graviorem in Gymnasio [22]) nostro desiderarent, atque in eo am-

---

18) Sylvv. lib. I. p. 69.
19) Ibid. lib IV. p. 326.
20) Wund l. l. p. 22.
21) Acta laudata fol. 41. a.
22) Gymnasii nomine Academia significatur. Micyllus quoque eximius in hoc nostro Gymnasio Graecarum literarum lector in actis

plissimi ordinis nostri dignitas et existimatio haud leviter periclitaretur, neque non singularum personarum fides teneretur obstricta, ne promiscue quicunque digni ac indigni ad honores admitterentur, circumspiciendum esse morbo subinde magis ingravescenti salubre remedium; quo aliud sibi nullum videretur melius, quam si in exploratione studiorum, adeoque conferendis gradibus disciplina severior in posterum adhiberetur. Viam fore non difficilem, si contubernio praefecti in consensu communicando majorem haberent delectum, et candidatos de periculis, in quae sese conjicerent, diligentius praemonerent. Et siquidem ex oratione ac incessu, animi et in literis profectus judicium fieri soleat, profuturum, si diverso ab eo, quem hactenus observassemus more, candidati omnes coram Senatu integro praesentes adesse, petere, et vitae studiorumque rationes edere cogerentur, neque coepto examine aliqui, vel competitorum numero, vel censorum forsan favore moti supervenientes, absque causae discussione, facile reciperentur. His aliisque in eundem sensum prudentissime dictis reliqui senatores omnes annuerunt.“

Anno 1550 a philosophorum ordine scypho argenteo Micyllus est donatus. Qua de re acta [23]) nostra haec proferunt:

„Scyphus argenteus, quo Facultas D. Micyllum honoravit, continet 10 uncias, 3 drachmas. Constant autem singulae unciae 11½ ursatis. Summa 8 fl., et aurei quarta monetae ursatorum seu balensium, ut vulgo nominantur, quorum 15 tunc valebant 27 alb. adeoque magnitudinis suae respectu, vulgarem florenum unico albo superabant.“

---

l. l. fol. 36. a. appellatur. In iisdem actis legimus fol. 22. b.: „*Petiit tum Joannes Weilandus de Gebweiler in album baccalaureorum Gymnasii nostri recipi.*“ In annall. T. VI. fol. 407. a. Georg. Nigri, Academiae rector, semet ipsum rectorem Gymnasii Heidelbergensis appellat. Schola, cui postea Gymnasii nomen erat, in actis persaepe allatis, Paedagogium nominatur. Cf. Lauter Geschichte des reform. Gymnasiums zu Heidelberg. Heidelb. 1798. 8. S. 8. et quae dixi in ephemeridibus: Allgemeine Schulzeitung (Geschichte des Gymnasiums zu Heidelberg) Febr. 1825. Nr. 22. et 23.

23) T. IV. fol. 44. b.

Anno 1551 statutorum ordinis philosophici refingendorum cura Micyllo est demandata. Etenim antiqua illa statuta minus eleganti sermone conscripta, multa habebant inusitata, istiusque saeculi ingenio nequaquam apta: quae omnia mutata, correcta atque in meliorem ordinem ab eo sunt redacta [24]. In literis, quas Artium Facultas anno 1551 hac de re ad Universitatem scripsit, haec [25]) inprimis memoratu digna traduntur:

„Saepe enim fieri animadvertimus, unius inusitati et ridiculi statuti recitatione, ceteris non perinde inutilibus, suam quoque auctoritatem abrogari. Ne dicamus, impium etiam videri, et ex quo sacramenti religio praecipue vilescat, ad id promittendum, quenquam adigere, quod in universum a nemine servari cernitur. Quoniam itaque ad naturae varietatem accommodandae sunt leges, quas post aequitatem inprimis perspicuitas et continua dispositio commendat, magni profecto facimus clarissimi Viri D. Jacobi Micylli operam et judicium, qui nostris precibus adductus pervidit, illustravit ac pulcherrime universa nostra statuta digessit, quod gratum posteris et ordini nostro perpetuum ornamentum fore, nobis plane persuasum habemus.“

Atque hoc loco de Sapientiae collegio [26]), quod a Principe Friderico II. est institutum, accuratius exponendum esse visum est, quandoquidem in illo constituendo et ad humanitatis ac philosophiae studia adornando Micyllus, dum vita suppetebat, et consilio et opera egregium se Principi praestitit adjutorem. Afferam, quae in actis nostris hac de re inveniuntur tradita [27]).

---

24) Wund l. l. p. 23.

25) Acta laudata fol. 39. b. et fol. 42. a.

26) Wund l. l. p. 19 sqq. Reuter jubil. colleg. Sapient. Hottingeri, Büttinghausenii (Car.) orationes saeculares de collegio Sapientiae, et Sohnii oratio de Academia p. 25 et 26. Zeil. topogr. Palat. p. 24. Riesmann. rediviv. p. 77 sqq. Struv. l. l. p. 34 et 35. Parei hist. Palat. p. 252. Wundt Magazin B. I. S. 59 sqq.

27) Acta l. l. fol. 44. b. sqq.

„Die VIII. Augusti a. 1550 Universitatis rectorem et ordinis philosophici decanum **Joannem Dozlerum Leontorium**, *nec non* **Jacobum Micyllum** *et* **Joannem Geiselbachium** *ad archivum Principis vocatos, atque a cancellario hac oratione exceptos fuisse: „„Quoniam peculiari temporum malitia pauci ex ditioribus animos literis intenderent, „quorum tamen officium erat, suppetenti otii et impensarum copia veram ex studiis nobilitatem vel parare, vel avitam tueri, „atque augere, id Principi placuisse consilium, ut constituto novo „quodam collegio, cui ad imitationem aliquot Germaniae et Italiae Academiarum nomen esset* **domus Sapientiae**, *pauperes* [28]) *adolescentes, parentibus honestis orti et felicibus ingeniis praediti, ex omnibus suae ditionis hinc inde praefecturis, „numero 60 aut 80, victu et amictu sustentandi, eo reciperentur. Ad quam rem conficiendam cum pecuniis non mediocribus, „rerum agendarum nervo, opus foret, atque monasterium Augustinianum Heidelbergense a monachis prorsus desertum, locus „instituendo collegio commodus haberetur, Principis precibus et „impensis maximis, coram* **Paulo III.** *Pont. Max. et ejus „successore* **Julio III.** *negotium coeptum et tandem eo deductum esse, ut dictum Augustinianum monasterium Heidelbergense cum toto suo ambitu et omnibus proventibus Facultatis Artium tribus primariis personis traderetur, decano scilicet et duobus senioribus. Similiter etiam alia monasteria, ut „Alzeense Augustinianum, Lixense ac Crafftalense, ita ut hi „tres tanquam inspectores et superattendentes domus Sapientiae „haberentur adeoque dicta monasteria et domus Sapientiae Facultati Artium incorporata essent.""*

Curam atque administrationem hujus collegii, ut diximus, sibi demandatam habebat philosophorum ordo, cujus ordinis decanus collegii rector, seniores vero bini administratores et superattenden-

---

28) **Wundt** l. l. p. 67. inter alia haec ex statutis in medium profert: *„Es soll der Alumnus arm seyn, welches so erklärt wird, daſs ihm seine Eltern jährlich nicht* 12 *bis* 14 *Gulden reichen können. Es scheinet also, daſs man diese Summe für hinreichend angesehen habe, um auf eignen Beutel zu studieren."*

tes [29]) constituti sunt. Placuit denique, Electores Palatinos esse collegii Sapientiae summos ephoros et perpetuos administratores [30]).

Solemni autem modo collegium hoc ob contagium pestiferae luis, quae urbem invaserat, die demum XI. mensis Novembris anni 1555 inauguratum delectosque ex Palatinatu juvenes viginti ut primitias studiorum Sapientiae, examine apud Jacobum Micyllum et Paulum Cisnerum JCtum rite peracto, in collegium receptos esse, acta [31]) nostra docent.

Adde his ea, quae Joannes Adami [32]), Rugenwaldensis Pomeranus, de Friderico II., cui propter eximiam, qua valuit, eloquentiam Eloquentis nomen inditum est, cecinit:

Illius auspiciis, quae nunc Sapientia dici
Obtinet, ante pii sacra fratribus Augustini,
Nomen et antiquum domus una perdidit usum,
Suscepitque novos diversae sortis alumnos.
Scilicet in magno parvam ceu rusticus horto
Secernit terrae partem, variisque frutetum
Construit ex plantis, viresque explorat, ut inde
Certa queat toti plantaria promere fundo;
Sic pius in finem Princeps haec sanxit eundem,
Et studiis tenerae sacravit tecta iuventae,
Quae sacra Musarum perscrutaretur, et artes
Ingenuas primo biberet cum moribus aevo:
Ut populum vera post de pietate doceret.

Princeps Otto Henricus hoc collegium beneficiis variis amplificavit, et scholam Nicrinam [33]) auxit, in qua civium liberi primis literarum initiis imbuerentur. Praeceptori, cum antea ab urbe stipendia tribuerentur, ipse Elector lautius stipendium decrevit, aliosque reditus, unde alumni commodius vivere possent, addidit [34]).

29) Acta l. l. fol. 61. b.
30) Alting. l. l. p. 160.
31) L. l. fol. 62. a.
32) In Nicro suo p. 27. v. 32 sqq.
33) Kayser hist. Schauplatz der Stadt Heydelberg S. 151 sqq.
34) Riesmann. rediviv. p. 97 ibique laudata. Alting. l. l. p. 165.

Princeps vero Fridericus III. colonos veteres ex Sapientiae collegio anno 1561 migrare jussit, idque studiis theologicis dedicavit et consecravit.

Rescriptum Principis hac de re in actis [35]) legitur, cujus verba haec sunt:

„*Am andern wöllen wir bemelte facultatem artisticam Jres Juraments der Sapienz halben, weil die jungen darinnen ad studium Theologiae vnd ministeria ecclesiastica (deren sich berurte Facultas biss anher nitt viel bekümmert, auch vieleicht nitt Jres dings sein mögen) sollen erzogen werden, vnd wir derselben inspection vor Der Zeit vnsern verordneten kirchen Rhäten beuollen, Auff Jre desswegen hieuor beschehene anregen vnd begeren, Dissmals gnedigst erlassen, dessen sie auch hiemit crafft diss schreibens also erlassen sein sollen.*"

Ac praeterea in actis [36]) haec leguntur:

„*Die VI. Januarii* (anno 1567, quo *Hermannus Witekindus* ordinis philosophici decanus fuit) *proponebam in concilio Facultatis, poscere senatum ecclesiasticum a nobis instrumentum fundationis constitutionisque domus Sapientiae, vellentne et juberent tradi? Domus enim illa ex coenobio Augustinianorum facta fuit contubernium studiosorum a Friderico II., ejusque administratio commissa Academiae et cumprimis Facultati philosophicae. Ceterum postea sub Friderico III., nescio nostrorumne aliqua culpa, an φιλοπραγμοσύνῃ senatus ecclesiastici Academia administratione illa* (domus Sapientiae) *huic cedere jussa est, ad hoc usque tempus apud Facultatem instrumento fundationis et ordinationis relicto. Placuit igitur senatui philosophico ne traderetur, nisi mandante Principe.*"

Ex collegii Sapientiae spatiis prodierunt non solum ecclesiae et scholarum ministri, sed etiam rerumpublicarum moderatores, consiliarii, senatores, medici, quorum haud pauci patriae, alii aliis locis operam utilissimam praestiterunt; atque hodie quoque ejusdem col-

---

35) L. I. fol. 71. b.
36) L. I. fol. 86. a.

legii et scholae Nicrinae reditibus (quorum longe maxima pars temporum injuria est perdita [37]) adolescentium ingeniosorum et bene moratorum, qui in Palatinatu sunt nati et literis sacris in Academia nostra operam dant aut Lyceum nostrum frequentant dignissimi quique, sublevantur.

Haec de collegio Sapientiae dixisse sufficiat; ad Micyllum redeamus.

Anno 1556 die X. mensis Januarii communibus suffragiis, ut annales [38]) nostri indicant, Micyllus *Magnificus Academiae rector est electus*, quam summam dignitatem Academicam inde a Marsilio ab Inghen, almae Academiae nostrae principe qui primus amplissimum hoc munus gessit, trecentesimus sextus et vicesimus obtinuit [39]).

Quo eodem anno Princeps Fridericus II., aetate prudentiaque gravissimus, bellicis artibus clarissimus, animi bonitate praestantissimus, decem monasteriis pro Universitatis et Sapientiae collegii commodis e decreto Pontificis Maximi sublatis [40]) optime de Academia nostra meritus, Alzeiae rebus humanis est exemptus [41]).

Defunctum Principem Micyllus compluribus elogiis atque epitaphiis deflevit, ex quibus unum [42]) hic inserendum esse putavimus:

Huc lacrymas, Nymphae, lacrymas huc fundite, Musae,
Heu victus leto vester Apollo jacet.
Vester Apollo jacet, veteris stirps clara Palatii,
Auxit qui vestras pacis amator opes.
Huic igitur lacrymas, lacrymas huc fundite, Nymphae,
Numinaque amissum flete novena ducem.

---

37) Wundt Magazin B. I. S. 87.

38) Annall. l. l. VII. fol. 209. a. Historia Univers. Heidelb. *mnscr.* p. 141 ita habet: „*postquam rectoratum gesserat anno* 54.“

39) Schwab. syllabus rectorr. Heidelbergg. P. I. p. 1 et 110.

40) Histor. Univers. Heidelberg. *mnscr.* p. 133.

41) Riesmann. rediviv. p. 86 et 87.

42) Sylvv. lib. IV. p. 344 sqq.

Fridericus praeclaram illam Academiae et Sapientiae collegii ornandi et amplificandi provinciam reliquit Ottoni Henrico [43]), fratris filio, qui in Electoratu gubernando ipsi successit [44]): quem Principem, cognomine Magnanimi insignem, ad fovendum Musarum cultum juvandasque bonas artes revera natum dixeris.

De Academiae regimine ejusque statu literario emendando cum saepius antea idque annis 1521. 1522. 1540. 1544. 1546. 1551., Ludovico V. et Friderico II. Electoribus, deliberatum esset, Otto Henricus statim hanc curam suscepit eamque praecipuam duxit [45]). Qua de causa anno 1557 Philippum Melanchthonem [46]), qui Wormatiae tum versabatur publici de religione colloquii causa, evocavit: praeter quem cum alii ex professoribus sunt in illud consilium adhibiti, tum inprimis Micyllus [47]), cultor et antistes, ut ait poëta, rectorum et liberalium studiorum; ex consiliariis vero Christophorus Probus [48]) et Christophorus Ehemius [49]), uterque varia doctrina et singulari prudentia excellens.

Atque horum virorum concordi opera et consilio statutis emendatis et compositis melioremque in formam redactis, Academia novum quasi splendorem induere coepit, ut Princeps summo eam studio prosequeretur, et polliceretur, *se in subsidium et ornamenta Academiae omnia, si opus esset, vel ad extremum usque denarium erogaturum.* Professorum stipendia regali munificentia auxit, et doctrinae laude clarissimos quosque omnium ordinum do-

43) Parei hist. Palat. p. 256.
44) Histor. Universit. Heidelberg. *mnscr.* p. 134.
45) Riesmann. rediviv. p. 89 sqq. Struv. l. l. p. 34.
46) Camerar. vit. Melanchth. p. 349. Alting. l. l. p. 163 sqq. Apud Wundium: Beiträge zur Geschichte der Universität p. 49 legimus haec: „*der Kurfürst habe darnach getrachtet, hierinnen gottesfürchtiger treflicher Leuth Rath, so in diesen Sachen vor andern geübt und erfahren, zu suchen und zu gebrauchen.*“
47) Hottinger. orat. saecul. p. 16.
48) Riesmann. rediviv. p. 93.
49) Ibid. p. 94.

ctores undique arcessivit [50]), in id unum intentus, ut primum locum, quem antea obtinuisset Academia, in posterum tempus conservaret.

Hunc in finem etiam Petrus Lotichius Secundus, Micylli discipulus, invitatus est, ut medicinae disciplinam in Academia modo constituta traderet. Quod uti praeceptori pergratum fuisse existimare licet, ita procul dubio Lotichius cum aliorum, tum praecipue Micylli consuetudine adductus videtur, ut hanc cathedram Heidelbergensem Marpurgensi, quae et ipsa ei oblata erat, praeferret [51]).

Praecipua tamen cura Principis versabatur in adjuvandis studiis theologicis, quorum ordo jam aliquot annos paene neglectus erat [52]). Et si cogitamus, quantis bibliothecam nostram literarum subsidiis auxerit atque adornaverit [53]), mirari interdum subit, unde tantas opes hauserit tanta liberalitas.

Neque vero Micyllo licuit diu fructibus uti, qui ex Aca-

---

50) Riesmann. rediviv. p. 93 sqq. Volumen manu scriptum asservatur, quod inscribitur: „*Pfalzgraven Otto Henrici Reformation der Universität zu Heydelbergkh*", cf. Wund Beiträge S. 46 sqq.

51) Histor. Universit Heidelberg. *mnscr.* p. 140.

52) Alting. l. l. p. 164.

53) Wund programm. de biblioth. Heidelberg. p. 17.: „*Etenim is, incredibili aliquo librorum amore ductus, adhuc juvenis literarum non minus, quam pietatis causa iter in Palaestinam suscepit, indeque permultos tum Arabicos, tum quoque Graecos inprimis, eosque egregios sane codices domum retulit.*" Parei histor. Palat. p. 257. 258.: „*Per idoneos homines* (praecipue Nicol. Cisnerum) *ex Italia et Gallia varios auctores manu scriptos et raros inquiri jussit et magno sumptu comparavit. Atque his quidem voluminibus optimus et munificentissimus Elector semet ipse oblectabat.*" Histor. Universit. Heidelberg. *mnscr.* p. 134. Alting. l. l. p. 166: „*Bibliothecae paravit aream in urbe, non longe a cancellaria, ad quam etiam curru advehi posset, ipse gravis corpore.*" — Cf. quoque praefat. ad monumm. pietat. et liter. p. II. Wilken Geschichte der Heidelberg. Büchersammlungen S. 116.

demia redintegratis viribus tanquam renata ad omnes literarum ordines redundabant. Jam illum fata manebant, neque ab instauratis legibus annus effluxerat, cum vir laboriosus angina, qua biduum decumbebat, correptus [54]) diem obiit supremum XXVIII. mensis Januarii [55]) 1558, annum aetatis agens quinquagesimum quintum [56]).

Petrus Lotichius Secundus, medicus, familiaritate intima, ut modo diximus, cum Micyllo conjunctus, laudes ejus amplissimo poëmate celebravit atque morbum obitumque his versibus [57]) est prosecutus, quos hoc loco subjungere placet:

Tertia post actas Jani lux venerat idus,
Quam tulerat fuscis Lucifer ortus equis:
Cum, velut occultas volvens sub pectore curas,
Imposuit tristi languida membra toro.
Parva mora est; pectus quatit arida tussis anhelum,
Accensamque levant pocula nulla sitim.
Principio succos tamen omnes ille perosus,
Insuetam medicae respuit artis opem.
Mox rapidis imos torreri febribus artus
Sensit, et angustas gutturis esse vias.
Heu mihi, nil artes serae juvere medentum,
Artificum doctae nil potuere manus.

Atque [58]):

Ergo ubi sensisset labi per viscera mortem,
Haec dedit in moesto verba suprema toro:
Fata vocant, moriorque libens, valeatis, amici;
Regia siderei me vocat alta poli.

---

54) Eber. calendar. historic. p. 60. Jöcher Gelehrten-Lexicon s. v. Micyllus.

55) Non obiit die XXIII. mens. Januar., ut Moréri vult, nec eodem ipso anno, quo Melanchthon et Petrus Lotichius Secundus mortui sunt, uti falso ponit Hagius (vit. Lotich. p. 69). Hi enim viri e vita discesserunt anno 1560. cf. Bayle l. l. - Cf. quoque infra p. 42.

56) Adam. l. l. p. 84.

57) Elegg. lib. IV. 2. v. 19 sqq.

58) Ibid. v. 117 sqq.

At tu, Christe, novae qui nobis gaudia vitae
Reddis, et in supera das regione locum,
Huic abeunti animae placidam largire quietem,
Ne mihi sit pretium mortis inane tuae.
Me liquor ille, tuo stillans e vulnere sancto,
Abluat; hos aestus, hanc levet ille sitim.
Dixit, et in tenues migravit spiritus auras,
Et placidus clausit lumina victa sopor.

III.

Lugebant mortuum, quem vivum coluerant et dilexerant propinqui, amici, maerebat Academia et Princeps Georgius Joannes, Comes Palatinus Rheni et Veldentiae, tum Academiae rector Magnificentissimus [1]), qui de Micylli morte et exequiis programma edidit, quod hisce verbis compositum in annalibus [2]) nostris reperitur:

„Die XXVIII. mensis Januarii anno 1558, cum clarissimus vir D. magister Jacobus Micyllus diem ultimum clausisset ac in Domino obdormiisset Illustrissimus ac Magnificentissimus rector hoc sequenti scripto subditis suis, quod funeri deducendo adessent, significavit.

„Obiit diem summum vir clarissimus, idemque de literis atque schola nostra plurimum meritus D. Jacobus Micyllus, in nostra hac Academia Graecarum literarum professor celeberrimus atque dignissimus. Quoniam igitur supremus is honos mortalibus habetur, qui funeris exequiis peragendis tribuitur, atque hodie sub horam a meridie tertiam corpus illius sepul-

---

1) Histor. Universit. Heidelberg. *mnscr.* p. 142. Riesmann. rediviv. p. 88: *„Prorector tum fuit Wendalinus Heylmannus de Richartshausen."*

2) Tom. VII. fol. 291. b.

turae solenni more tradetur, universos ac singulos vos hortamur, ut eidem funeri deducendo adesse, manibusque defuncti aut etiam ipsis Musis, quarum et studia vivus ille coluit, et memoriam ad posteros commentariis ac scriptis suis propagavit, gratiam hanc persolvere velitis. Aequum enim ac pium est, eos qui studiorum similitudine ac societate conjuncti fuerunt, etiam mortuos a superstitibus honorem meritum ac debitum referre.

„Dat. sub sigillo magistratus nostri, quinto calend. Februarii. Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo."

Sepultus est Micyllus ad divi Petri aedem, ubi Adamus Siberus tumulum ejus his versibus [3]) ornavit:

Scripta per ora volant non tantum docta Micylli,
Aemula carminibus, culte Tibulle, tuis:
Sed quoque Grajorum Latias de divite gaza,
Auxit opes labor et sedula cura viri.
Exuvias tenet hic tumulus, mens lata vagatur,
Qua sacra Elysium concitat aura nemus.
Et vati Hutteno, Cordo, conjunctus et Hesso,
Quisquis et e nostris nobile nomen habet:
Voce canit docta laudes et carmina Christo,
Adspectu fruitur colloquioque Dei.

Ex magna liberorum progenie, quam ipse in epicedio in uxoris obitum facto ita commemorat [4]):

Undecies geminos thalamo sociata per annos,
Undecies uno es conjuge facta parens,

duo tantum filii patri superstites fuerunt, sed mire illi quidem disparis sortis. Nam alter, Julius, juris consultus evasit et cancellarius Ludovici, Electoris Palatini, alter, plebeiam conditionem secutus, sartoris artem exercebat Heidelbergae [5]), ut vel inde intelligamus, Deum varie varia dona inter mortales dividentem neque virtutem neque eruditionem parentum hereditariam fecisse.

At hereditario quodam jure in liberos transire fenus e parentum bene factis percipiendum, ipse Julius ille maximo

---

3) Siber. tumulorum lib. p. 603.
4) Sylvv. lib. I. p. 67.
5) Lotich., Jo. Pet., l. l. p. 50. Voss. de scientt. math. p. 87.

cum animi morumque fructu expertus est. Huic enim, patre mortuo, Petrus Lotichius Secundus alter quasi pater exstitit, pueroque non modo pia carmina inscripsit [6]), sed etiam ad Christum religiose agnoscendum, colendum, venerandum ea fide et pietate ducem se praestitit, quam ipse a pio et sancto ejus parente Micyllo sene hauserat [7]). Quam eximia autem fuerit patris pietas, quanta vitae integritas, quam singularis in uxorem et liberos amor, multa ejus carmina infra commemoranda testantur, quibus vir summa admiratione dignus in saeva mali atrocitate carissimorumque capitum clade dolorem, sublimioris doctrinae consolatione erectus, restinxit.

Variam et plerumque adversam, dum in vivis erat, expertus est fortunam Micyllus: res angusta domi erat, vix sufficiens ipsi ad vitam honeste et cum dignitate quadam agendam [8]), adeoque cum Trotzendorfio (qui auctore Melanchthone [9]) ad regendas scholas non minus natus erat, quam ad regenda castra olim fuerat Scipio Africanus) dicere poterat:

Artes tradebam totius tempore vitae;
Et quae sunt mundi praemia, pauper eram.

Sed quamvis recte de se his versibus [10]) loquatur:

Quos non interea vidi miser ipse labores,
Aut quae pars vitae laeta peracta meae est?

fortiter tamen et aequo animo sortem suam ferebat.

---

6) Elegg. lib. IV. 11.
7) Hag. vit. Lotich. p. 20.
8) Lizel. l. l. p. 49. Wundt Magazin S. 169. „*Das sogenannte Honorarium, welches die Buchhändler dem Gelehrten für seine Arbeit zu zahlen pflegen, mufs zu dieser Zeit* (1547) *noch sehr geringe gewesen seyn; dafs es überhaupt nicht sehr gewöhnlich war, beweist eine Stelle des Hieronymus Cardanus, eines gesuchten und damals berühmten Schriftstellers. Postquam nostra, sagt er, legi desiderarique ab omnibus vidi, impressoribus, quod nunc rarum est, praemium mihi pro editione proponentibus.*“
9) Schwarz Geschichte der Erziehung Th. II. S. 282. 284.
10) Sylvv. lib. I. p. 58.

Variis temporum spatiis rite computatis, Micyllum in republica Francofurtensi viginti fere annos artium et literarum magisterium exercuisse, Heidelbergae autem eruditionis stipendia doctissimis laboribus amplius decennio meruisse apparet. Per quod quidem licet brevissimum tempus tanta hic cum laude literas antiquas professus est, tantopere earum studium adjuvit et provexit, tantum contulit ad celeberrimae et vetustissimae Academiae dignitatem et auctoritatem tuendam atque augendam, ut, quod per paucos annos ex ejus studiis huic Musarum sedi et rei literariae affulserit lumen, id etiam nunc splendorem in illius memoriam rejiciat.

Cujus etsi in literarum Graecarum cathedra successor fuit Guilielmus Xylander [11] (Holzmann), Augustanus, vir excellens non minus literarum scientia quam animi probitate morumque modestia, praematuram tamen mortem si calamitatem dixerimus, non inique judicasse videbimur.

Et si quid auctoritatis tribuendum est praeclaro illi Horatii [12]) dicto:

Principibus placuisse viris non ultima laus est,

in Micylli laudibus non levis profecto momenti est commemorare, illum Principibus Palatinis Ludovico V., Friderico II., Ottoni Henrico in deliciis fuisse. Quin etiam vix ullum usquam reperi vestigium, ex quo appareret, eum inimicos et laudum obtrectatores habuisse, qui in libris publice editis cum acerbitate et malevolentia in eum inveherentur, imo fere omnes illius aetatis viri eruditi, qui ejus mentionem faciunt, laudant eam, qua praestabat, linguae Latinae et Graecae cognitionem.

Singulas jam accipe eorum laudes.

Philippus Melanchthon [13] alia multa et haec de eo praedicat:

„Micyllus omnium professorum in Graeco et Latino sermone fuit eruditissimus, bonus mathematicus, optimus in ligata

---

11) Annall. T. VII. fol. 309. b. Wundt Magazin Th. I. S. 170 sqq.

12) Epist. I. 17, 35.

13) Postilla evangelica. Hannov. 1694. 8. T. III. p. 661.

et soluta oratione scriptor, praeclare doctus in erudita musica, idem jurisconsultus."

Idem Melanchthon in epistola, quae est ad Justinianum ab Holtzhausen, ita scribit [14]:

„*Est autem Micylli non tantum eruditio digna favore, sed mores etiam sic sunt amabiles, ut ornare eruditionem queant. Quorundam mores officiunt existimationi literarum: at Micylli modestia et diligentia in omni genere multo cariores reddere literas omnibus bonis viris potest.*"

Joachimus Camerarius, quocum summa necessitudine Micyllus erat conjunctus, hoc testatur [15]:

„*Cum ingenio et bono et acri esset, Musis, id est, optimis disciplinis atque artibus se totum addixit, et cum veterum scripta explicando, tum componendo nova, et navavit operam inprimis et nomen celebre est consecutus.*"

Petrus Lotichius Secundus in funebri elegia his versibus [16] eum celebrat:

Nec tua longa dies delebit scripta, Micylle;
Juris in ingenium mors habet atra nihil.
Adde, quod ereptum terris pietasque fidesque
Ante Deum coelo sideribusque locant.
Non levis ambitio, non impius ardor habendi,
Nullus in elato pectore fastus erat:
Provida sed virtus, et flore nitentior omni
Candor, et innocua cum pietate fides.

Matthias Ritter „ad colendam memoriam doctissimi atque integerrimi viri Jacobi Micylli, praeceptoris sui optime meriti", haec [17] cecinit:

---

14) In praefat. Jac. Micylli hodoeporico praem. (Sylvv. lib. III. p. 190.) — Alia elogia leguntur in Melanchthonis declamationibus T. I. philosoph. p. 162—166. Cf. quoque Melanchthon. epistoll. ed. Bretschneider Vol. VI. p. 537.

15) Camerar. vit. Melanchth. p. 349. 350.

16) Elegg. lib. IV. 2. v. 103—110. (ed. Friedemann). Haec elegia seorsum quoque typis est descripta Heidelbergae an. 1558. 8.

17) Sylvv. lib. I. p. II. Complura carmina in Micyllum scripta

— — — linguarum cuncta tenebat
    Abdita, quas Latium, Graecia quasque sonat.
Praeterea historias, numeros normasque loquendi,
    Astrorum vires Pythagoraeque sonos,
Naturaeque operum causas cognôrat, et orbis
    Quae regio, quaeve urbs, quo sita quaeque loco.
Nec contentus, ad haec numerosa volumina legum
    Addiderat, sera cognitione licet.
Quid referam quantos exhauserit ille labores?
    Cultores vobis dum parat, Aonides.
Tum virtus, pietas, candor venerandaque morum
    Gratia quae fuerit, quis, precor, enumeret?

Joannes Hagius haec [18]) de illo disserit:

„*Ceterum addendum unum adhuc de Jacobo Micyllo, fuisse illum unum de numero hominum illorum nostratium doctissimorum et clarissimorum philosophorum, qui tum studia Graeca in Germania nostra cum omni politiori doctrina ac literis humanioribus, barbarie pulsa, certatim excitavere. Cujus ordinis facile principes primariique duces ac* κορυφαῖοι *extitere post Erasmum Roterodamum, incomparabilem virum, nostrae gentis gloria Joachimus Camerarius nosterque Melanchthon, duo vero luminaria magna ac viri magni, immortalitate digni.*“

Quirinus Reuter de eo dicit haec [19]):

„*Graecis et Latinis literis Micyllus erat eruditissimus, orator et poëta doctissimus.*“

In epitome bibliothecae Conradi Gesneri haec [20]) legimus:

„*Jacobus Micyllus, vir in bonis literis et utraque lingua doctissimus.*“

---

reperiuntur in Helii Eobani operr. farrag. I. Hal. 1539. 8. p. 293 et 310, atque in Periandri Germania. Francof. ad Moen. 1567. 8. p. 366—386.

18) Hag. vit. Lotich. p. 20. 21.

19) Jubil. Sapient. p. 17.

20) Pag. 84.

Et apud Gyraldum in dialogo de poëtis Graecis et Latinis [21]):

„Jacobus Micyllus, vir Graece et Latine doctus, plurima ex Graeco transtulit, quae passim per totam Germaniam leguntur."

His accedunt recentiorum criticorum sententiae.

Adr. Baylius hoc [22]) memoriae prodit:

„Micyllus tient un rang bien honorable parmi les savans de son siècle."

Atque Ant. Teissier [23]):

„Ses (Micylli) *écrits témoignent qu'il était consommé dans la langue Grècque et dans la Latine, qu'il était bien versé dans la belle littérature, et qu'il était bon poète et éloquent orateur."*

Henr. Hallam ita [24]) de eo judicat:

„Micyllus was more celebrated than most of his countrymen for Latin poetry. Yet in this art he fell below Eobanus Hessus, whose merit is attested by the friendship of Erasmus, Melanchthon, and Camerarius, as well as by the best verses that Germany had to boast."

Joannes Henricus Andreae, Heidelberg. Gymnas. reform. quondam rector clarissimus, laudes ejus verbis his [25]) est complexus:

„Jacobus Micyllus, omnium elegantiarum promus condus et arbiter, juvenum ingenia atque animos egregie formando magnam consecutus est existimationem.".

Jure a L. Wachlero [26]) Micyllus in eorum virorum numerum refertur, qui in Germania de restaurandis literis sunt meritissimi, ac Fridericus Carolus Kraft de eo haec [27]) scribit:

„Erat ex doctissimis illius aetatis hominibus."

---

21) Pag. 560

22) Dictionn. histor. et crit. s. v. Micyllus.

23) In additt. ad elogia Thuana p. 139.

24) Introduct. to the literat. P. I. p. 266.

25) Riesmann. rediviv. p. 92.

26) Literaturgeschichte (2 Ausg.) S. 437.

27) L. l. p. 49.

IV.

His gravissimorum atque intelligentissimorum judicum testimoniis de Micyllo in medium prolatis vix necesse erit singula ejus scripta, quae omnia in indice a nobis contexto indicata reperies, uberius examinare et recensere: quae scripta omnia testantur, singulari Micyllum fuisse ingenii venustate, praeclara doctrina, egregia in judicando prudentia.

Eminet inter illa quod est de re metrica opus, de quo Melanchthon verissimum hoc judicium [1]) facit: „*de re metrica exstant eruditissimi et consummatissimi libri tres Jacobi Micylli, quo nemo Latine scripsit prosodiam eruditius aut diligentius.*" Atque in prooemio his libris affixo idem haec disserit: „*Non tantum mihi sumo, ut meo judicio de lingua Latina et Graeca deque ratione scribendi ac dicendi plus tribui velim, quam judicio Micylli, cujus exstant pleraque scripta, quae testantur eum singulari ingenii venustate, solida eruditione et prudentia in judicando egregia praeditum esse. Mihi si quid fuit ingenii, consumptum est in rixis disputationum et in magna varietate negotiorum, in quibus versamur. Quare nihil opus est huic operi Micylli mea praedicatione, et rectius ipsi juventus de hoc genere studiorum, quam mihi assentitur; sed tamen quia propter nostram amicitiam a me adjici epistolam voluit, non repugnavi viri optimi mihique amicissimi voluntati. — Adhortor adolescentes, ut hoc studium ament, et se ad versiculos faciendos assuefaciant. Ad hanc exercitationem plurimum proderit hic Micylli labor.*"

---

1) Adam. vitt. Germanor. philosoph. p. 84.

Baylius [2]) idem scriptum appellat un chef-d'oeuvre.

Terentiani Mauri de literis, syllabis, pedibus et metris opus emendavit, et ubi verba scriptoris corrupta aut mutila esse videbantur, asteriscos adjecit, lectionis varietate in margine notata.

Bocatii opus de genealogia deorum innumerabilibus et vix credibilibus mendis atque erroribus purgavit. Neque enim voces tantum hîc illic explevit aut immutavit, sed totas passim fabulas, quae a librariis omissae fuerant, suo loco restituit.

Philippi Melanchthonis grammatica Latina ab eodem aucta sine ejus nomine Francofurti typis descripta est. Praefationis loco epistola a Melanchthone ad Egenolphum typographum data praemittitur, ex qua haec commemoratu digna afferimus: „*Valde probo Micylli eruditionem ac judicium et video eum ea virtute praeditum esse, ut scholasticas operas non fastidiat. Quare cum eum propter ingenii elegantiam et multiplicem eruditionem ac mores optimos amem et suspiciam, profecto ob hanc causam pluris etiam facio, quod non gravatim confert ad jucunda puerilia studia. — Etiam si mihi plus otii esset, tamen anteferrem Micylli censuram meae.*"

Summam operam ac diligentiam in Ovidii [3]) operibus illustrandis posuit, exceptis Metamorphosium libris, nisi quod Raphaelis Regii in hos libros commentariis nonnulla addidit. Praeterea Taciti et Lucani scripta docte explicuit atque ipsius in hos scriptores annotationes postea in recentiores editiones sunt receptae.

Scholia in Martialis aliquot locos obscuriores conscripsit.

Exstat Euripidis vita ex diversis scriptoribus a Micyllo collecta, et dissertatio de tragoedia et ejus partibus perspicue conscripta, quae una cum Casparis Stiblini Euripide est edita.

Luciani opera aliquot latine reddidit, adjectis etiam scholiis, quae una cum ceteris Luciani scriptis aliorum interpretum opera conversis, edidit [4]).

---

2) Loco supra allato.

3) Goetz. bibl. Dresd. III. p. 13 sqq.

4) Barth. adversaria p. 315. Lizel. l. l. p. 50. Koenig.

Idem optime meruit de Homero, quem doctis annotationibus illustravit, quae una cum Graecis Homeri verbis et Joachimi Camerarii in eundem notis prodierunt.

Homeri interpretationes aliquot metricas in scriptorum indice infra adjiciendo commemorabimus.

Edidit Hygini opera [5]) emendata atque illustrata.

Collegit arithmeticae logisticae libros duos ex diversis scriptoribus, et praecepta hujus artis exemplis plurimis iisdemque utilissimis illustravit [6]). In epistola huic operi praemissa quam nuncupatoriam dicunt, ad „Magnificum D. rectorem totiusque collegium professorum scholae publicae Heidelbergensis“ data, haec [7]) Micyllus scribit: *„Quanquam ipse quidem professione atque opere in hoc studiorum genere versatus, nisi succisivis temporibus, nunquam fui, neque multum etiam fortassis supra prima illa elementa hactenus consecutus: non indignum tamen judicavi, vel hoc ipsum, quod qualicunque diligentia atque opera mea consecutus essem, in medium conferre, eoque aliorum, praecipue vero rudium et imperitorum, conatus ac studia si non promovere, at saltem excitare.“*

Recensetur etiam Calendarium quoddam inter Micylli scripta hoc solo nomine, nec ulla accuratiore tituli, argumenti, anni et loci significatione addita. Hoc opus mihi inspicere nondum licuit, nec ab aliis quidquam de illo cognoscere potui. Quodsi tamen quid illorum temporum more Calendarium appellatum sit, perpenderis, facile intelliges, Micylli Calendarium, si unquam seorsim sit editum, maximam partem constitisse ex dissertatione *„de temporum supputatione, qua Ecclesiastici utuntur“*,

---

biblioth. p. 539. Rheinhard. theatr. prudent. elegant. p. 158. No. 23.

5) Heilbronner. histor. mathes. p. 309.

6) Voss. de scientt. mathematt. p. 78. Heilbronn. l. l. 783. Barth. l. l. 994. 995.

7) Pag. XIII.

quae libro arithmeticae logisticae affixa est, et ex versibus compluribus, quos grammatici recentiores dicunt memoriales. Hi Micylli versus una cum Sylvarum libris editi [8]) Cisiojanus inscribuntur.

Versibus composuit astrologiae defensionem „in promotione magistrorum pronuntiata Heidelbergae anno 1533 [9]).“

Idem Livium [10]) et Tacitum [11]) in Germanicum convertit admodum scite atque eleganter, id quod exempla docent, quae hoc loco afferre lubet.

(Liv. lib. XLIII. cap. 1.)

„*Denselbigen Sommer, als der Römisch reysig Zeugk die schlacht in Thessalia gewonnen, hat der Legat, so von dem Burgermayster in die Windische Mark, Illyricum genant, geschickt war, zwo reiche stett mit gewalt eingenommen, und wiewohl dieselbige mit dem schwert erobert, hat er doch den Burgern jre Habe vnd Güter frei nachgelassen, vnd geschenckt, auf dafs er solcher gütigkeyt nach, ein guten Ruff vnd gunst schöpfft, bei denen so die gewaltige stett vnd veste statt Carnuntem inne hatten, vnd sie also*

---

8) Sylvv. lib. IV. p. 307 sqq.

9) Sylvv. lib. III. p. 228—236.

10) Degen Versuch einer vollständigen Literatur der deutschen Uebersetzungen der Römer Th. II. S. 68 sqq. Livius, übersetzt von Ostertag, Anh. S. 136 sqq. Beiträge zur crit. Histor. der deutschen Sprache 18 St. S. 179 sqq. Würdtwein biblioth. Mogunt. p. 165. 175. 181.

11) Haec Taciti interpretatio est repetita in ejusdem operibus, quae infra indicabimus. Grillo Quartalschrift für ältere Literatur u. neuere Lectüre. Leipz. 1778. S. 81. Degen l. l. p. 425. 426. 427., ubi haec reperies: „*Diese sehr seltene Uebersetzung gehört in Ansehung der Deutlichkeit und erträglichern, hin und wieder wohl gar gewähltern Sprache bei weitem unter die besten Dollmetschungen jener Zeit, obgleich die damals übliche Weitschweifigkeit und Ausdehnung auch bei ihr nicht fehlt. Für den deutschen Sprachforscher ist sie wichtig.*“ Schummel's Uebersetzer Biblioth. S. 262 sqq. Würdtwein l. l. p. 170. Gras Merkwürdigkeiten B. II. S. 231.

an sich brachte. Welches nachdem es jm nicht gerathen, vnd er dieselbigen weder mit gutem darzu bringen, daſs sie sich aufgeben wöllen, noch durch Belegerung erobern möcht, auf daſs sein Kriegsvolck die zwe stürmm, so sie gethan hatten, nit vergebens gearbeyt hett, hat er sie die eyn statt aus zweyen, so er vorhin sicher vnd frey gelassen hat, blündern lassen.“

(Tacit. Germ. cap. 22.)

„*Sobald sie* (die Deutschen) *des morgens vom Bett aufstehen, welches sie doch gemeiniglich erst thun, wann es heller tag ist, gehn sie in das Bad, vnd baden auch das mehrtheyl im warmen vasser, als bei denen es die mehrerzeit des jars kalt vnd Winter ist. Wann sie sich nun gevaschen haben, gehen sie zum Tisch, doselbst hat eyn jeder sein eygen Stul vnd seyn eygen Tisch für jm stehn. Wann sie gessen haben, gehn sie darnach, vo sie zu schaffen haben, vnd haben ihre Wehr an, vie vohl sie auch das mehrtheyl zur zech nit ohne ihr Vehr gehn. Das aber eyner eyn gantzen tag vnd nacht an eynander sitz vnd zech, ist kein schand bei jnen. Vnd sie pflegen sich auch offt in der Zech (als wie dann vnder den trunckenen zuyehn) mit eynander zu zancken, aber doch selten das eyner den andern an sein ehr etwas redt, welchen zank sie darnach offtmals mit blutvergiessen vnd todtschlagen richten vnd enden, Aber sie pflegen auch viderum in der zech gemeiniglich die feind gegen eynander zu vertragen und zu versonen, freuntschafften vnd schwägerschafften vnder eynander aufzurichten vnd, in summa beyde von den Sachen des kryges zu ratschlagen. Denn sie achtens dafür, es sey kein Zeit, da das Hertz zu allen Gedanken freier vnd öffener seye oder auch da es zu allen grossen vnd mannlichen fürnemen hitziger sey. Vnd wie es auch eyn vnbetrogen vnd eynfeltig offen Volck ist, schütt es alle seines Hertzens heymlichkeiten herauſser.“*

V.

Scriptis Micylli de antiquarum literarum studiis ea, qua par est, laude commemoratis, jam illius carmina perlustremus. Haec enim omnia, quotquot exstant, non solum docta et perspicua sunt, elegantiorisque sermonis, qualem in veteribus Italiae poëtis plerumque reperimus, specimina prae se ferunt, sed etiam animi candorem declarant vere Christiani, verumque poëtam, qui limpidos Italiae Graeciaeque fontes hauserit, ostendunt, eoque magis arte absoluta videntur, quo minus limam iis adhibitam senseris [1]. Atque omnes, quotquot Heidelbergae floruerunt, poëtas Latinos si cum illo comparaveris, vix quemquam, uno Petro Lotichio Secundo excepto, justis veri poëtae laudibus magis dignum esse reperies, quum merito ille inter praestantiores Germaniae poëtas referatur [2], in Latinis quidem elegiis, Scaligero judice [3], Ovidio consimilior, Propertio autem magis comparandus ex Joannis Petri Lotichii sententia [4]. Itaque recte Petrus Baylius [5] de Micyllo hoc profert judicium:

„*Micyllus a été un des meilleurs poètes, qui fussent de son temps en Allemagne.*“

Itali quoque Micyllum celebrarunt: poëtis Graecis eum ad-

---

1) Borrich. dissert. de poëtis Latinis p. 133.
2) Lizel. l. l. p. 48. Burckhard de ling. Lat. fatis. P. I. p. 388.
3) Scaliger de re poëtica p. 788.
4) Lotich., Jo. Petr., in censura sup. poëtt. p. 73.
5) Bayle dictionn. histor. et crit. s. v. Micyllus.

scripsit Laurentius Crassus [6]), ejusque cum laude meminit Lilius Greg. Gyraldus [7]) in dialogo de poëtis Graecis et Latinis, et princeps poëtarum Germanorum [8]) Petrus Lotichius Secundus copiosum in funere ejus epicedium cecinit, ubi et haec [9]) leguntur:

Ille, decus Phoebi, Musarum cura, Micyllus
Occidit. Heu, fallax et breve vita bonum.

Atque alio loco [10]) ita exclamat:

Ergo jaces, patriae decus, o clarissime vates,
Et Graiae et Latiae gloria summa lyrae?

Joannes Posthius Germershemius haec [11]) canit:

Sive modis etenim gravioribus iret in altum,
Aemulus Andini carmine vatis erat;
Seu levibus castos elegis cantaret amores,
Certabat numeris, culte Tibulle, tuis.

Gerardus Faustus Confluentinus his versibus [12]) de eo scribit:

Jactat et ipsa suum Germania jure Tibullum,
Tantum Micylli Musa nitoris habet.

Aegidius Periander laudes ejus hoc carmine [13]) celebrat:

Quis fuerit, quaeris, Musarum fama Micyllus,
Ascraeas ducens carmine pastor oves?
Cum dulces elegos facili modulamine lusit,
Tunc plenus nostro tempore Naso fuit;
Candida Daphneo ludens epigrammata sensu,
Hic tumuli scripto primus habetur honor.
Non elegi tantum curaeque tragoedia crevit,
Promtus, huic operi fortiter aptus erat.
Accipiensque lyram manibus fuit alter Apollo,
Jessaeo vates carmine verus erat,

---

6) Crassi Istor. de Poeti Greci p. 254.
7) P. 560.
8) Lizel. loc. allat. p. 49.
9) Elegg. lib. IV. 2. v. 15. 16.
10) Ibid. v. 31. 32.
11) Teissier in additt. ad elogia Thuana P. I. p. 189.
12) Periandri German. p. 378.
13) Ibid. p. 366.

Inachus eloquio, laurus: haec fama Micylli
Plura cupis? fons hic candidus Aonidum.

Zacharias Monzer in hunc modum [14]) canit:

Ipsa repraesentant autorem scripta disertum,
Ipsa viri faciem carmina docta gerunt.
Ante oculos veneranda viri versatur imago,
Quodcunque illius quando poëma lego.
Scribit hodoeporicum, videor comitatus euntem:
Scribit de laetis, laetor et ipse simul;
Scribit de luctu, vis est in carmine mira,
Me cogit pariter flere, dolere, queri.
Laudibus haud privanda suis sunt scripta Maronis,
Laudibus est Naso dignus et ipse suis:
His tamen hac in parte licet praeferre Micyllum,
Quod praestat veri cognitione Dei.
Haec igitur nostri sunt casta poëmata vatis,
Qui coluit vera relligione Deum.
Carmina testantur, quantis ardoribus ille
Saepe preces summum fuderit ante Patrem.
Non hunc, ceu reliquos, egit furor ille, poëtas:
Spiritus in casto pectore sanctus erat.

Atque Helius Eobanus Hessus „elegantissimo poëtae Jacobo Micyllo suo" haec [15]) scribit:

Perge animo tali Musas relevare jacentes,
Quae miserae casu quo cecidere vides.
Musica nam vulgus contemnit sacra profanum,
Heu proprii nimium nescia turba boni.
Tu potes abjecti studium revocare laboris,
Tu potes amissum restituisse decus.
Hoc tua promittunt virtus et candor et aetas,
Et pulchra spirans indole plena fides.

Joannes Petrus Lotichius, Petri Lotichii Secundi pronepos, in hunc modum [16]) de illo loquitur:

Carminis antistes praepollens arte Micyllus
Aonias multis praebibit autor aquas.

---

14) Periandri German. p. 377.
15) Ibid. p. 371.
16) Bibliothec. poët. P. III. p. 47.

Phoebeos teneris qui vatibus excitat ignes,
Officio vatis fungitur ille boni.

Variis Micylli poëmatis, a filio Julio, aulae Palatinae cancellario, collectis praeloque datis, Sylvarum nomen est impositum. Huic operi Melchior Acontius Ursellanus hos versus [17] praemittit:

Ille quidem vatum praeconia summa meretur,
Inter quos veluti lucida stella micat.
Sed nihil ascitis aliunde coloribus hujus
Fama, nec externa crescere laude potest.
Lampade sic aliqua non indiget auricomus sol,
Ipsaque per sese dulcia vina placent.

Atque Joannes Fichard „de editione Sylvarum clarissimi poëtae Jacobi Micylli, praeceptoris optime meriti, ad Julium Micyllum" haec [18] scribit:

Quod revocas patris, Juli doctissime, Musas,
Nec tanti vatis scripta perire sinis:
Pro pietate facis, sed et haec tua cura quibusvis
Grata viris doctis, credito, semper erit,
Et simul efficies, ut nomina clara parentis
Post obitum longe splendidiora sient.
Unica namque solent omnem superare senectam,
Musae struxerunt quae monumenta bonae:
Hoc et divini testantur scripta Maronis,
Nobilis utque alius quisque poëta fuit.

Fervente adhuc juvenilis aetatis ardore Micyllus complura carmina condiderat, quae ipse in civitate, nescio qua, ubi morabatur, ab hostibus tum occupata, gravioris periculi metu Vulcano tradidit [19]. Atque in omnibus hisce carminibus, sermone aut Latino aut Graeco compositis, Micyllus metro disticho usus est, quorum argumentum si spectamus, alia sunt epica, alia ad elegiacum genus

17) Sylvv. lib. p. I.
18) Ibid. p. XI. XII. — Non sunt hoc loco plane omittenda a Micyllo ipso in Fichardum conscripta poëmata ibid. p. XII. sqq.
19) Lotich. biblioth. poëtic. p. 50. Lersner Chronic. Th. II. Anh. S. 208.

pertinent, Virgiliumque ille inprimis, Ovidium, Catullum, Statium, clarissimos Italiae poëtas, imitatus est. Cum epicas res tractat, majore quodam animi ardore verborumque splendore undique nitet. Ejusmodi est Heidelbergae descriptio, quam supra [20]) inseruimus. Simili genere epico Micyllus religionem et literas laudibus effert [21]):

Scilicet ut terris praestat virtutibus aether,
Astraque sol vincit lumine cuncta suo:
Cetera sic pulchro superat benefacta labore,
Quo duce stat pietas, quo duce tuta fides.
Sed velut irriguum frustra plantaveris hortum,
Ni sit qui crebra verset aretque manu;
Et frustra in lento turgescit palmite gemma,
Si desit liquidum, cui ferat illa merum:
Sic quoque quae Domini plantata est vinea verbo,
Si cultu careat, terra jacebit iners.
Quos igitur cultus, aut quas adhibebimus artes?
Nempe has quas secum Musa pudica refert,
Tempora quae prudens componit nostra vetustis,
Servat et innumeros ante peracta dies.
Nec sinit ut recte veniant oblivia factis,
Aut meritum digna stet sine laude decus.

Si vero elegias, quas Ovidii more conscripsit, diligentius consideraveris, mirum in modum venustam atque elegantem poëtae dictionem animumque novis ac singularibus affectibus commotum atque inter tot bellorum motuumque acerbitates, ut ipse de se praedicat [22]), laetitia quadam et hilaritate perfusum in omnibus paene carminibus illis reperies. Inter quae, alia ut omittam, epicedion excellit in obitum Gertrudis uxoris a Micyllo editum, hoc sane loco proferendum [23]):

Sic igitur saevae, sic, o dulcissima conjunx,
Ante suum Parcae te rapuere diem?

---

20) Pag. 26. 27.
21) Sylvv. lib. III. p. 271.
22) Sylvv. lib. III. p. 249. 250.
23) Ibid. lib. I. p. 57.

Nec tua te pietas, nec tot texere labores:
Non amor, et casto juncta pudore fides?
Quin procul, heu, patria et flaventis gurgite Moeni,
Externa fieres flebile funus humo.
Nec de te quidquam restaret quam levis umbra,
Et cinis, et digitis ossa levanda tribus,
Quae tegeret vilis properato cespite tellus,
Aut etiam premeret pondere laesa gravi?
Scilicet hoc nostris deerat post cetera fatis,
Haec aberat summae debita cura meae,
Ut facie cujus viventis, et ore fruebar,
Aspicerent oculi corpus inane mei,
Et quibus ipse tibi dextram complexus inhaesi,
Cum fierent tedae foedera prima novae?
His tua nunc manibus, moestus gemituque repletus,
Colligerem tristi frigida membra solo?
Heu me, qui tanto produxi tempore vitam,
Heu spatiis aetas invidiosa suis.

Alio loco exclamat [24]):

Haec tibi mox alio compensabuntur in aevo,
Pectora quod nulla labe notata colunt.
Ac nisi nulla fides vatum stet certa priorum,
Fabulaque Elysii vana sit omnis agri,
Jam frueris vero vitae splendore perennis,
Teque tenent celsi lucida regna poli.
Illic et, pura toties quem mente vocasti,
Aspicis humana libera sorte Deum.
Illic et natos et pectora cara parentum,
Atque olim functos corpore cernis avos.
Atque utinam nostros videas quoque post breve vultus,
Et sedeam lateri junctus, ut ante tuo.

Animum candidum sinceroque religionis sensu percitum hi versus [25]) exprimunt:

Confisus Domino tua pectora crede tonanti,
Omnis ut illius stet tua cura fide,
Nec metus aut rabies ab eo te separet ulla,
Fracta licet toto corruat orbe salus.

---

24) Ibid. lib. I. p. 68.
25) Ibid. lib. IV. p. 322.

Inde tuo si quis studio aut ope postulet uti,
Debita cui rerum sors alimenta negat,
Esse velis aliis talis, tibi qualis es ipse,
Et mala vicini damna putare tua.
Tempora dum praesens mortalia finiat aevum,
Atque alio veniens nos levet aura polo.
Maxima sic geminis dictat lex scripta tabellis,
A Domino Sinai tradita in arce jugi.

Eundem animi sensum in epitaphio Lucretiae filiae [26]) cognosces:

Conditur hic moesti Lucretia parva Micylli,
Tertia nata suo, mortua prima patri,
Nonum quae vitae nondum compleverat annum,
Isto cum jacuit peste peremta solo.
Ossibus ergo licet, recubent ut molliter, optes,
Nam mens aethereae vivit in orbe plagae.

Multos aetatis suae viros illustrissimos cum epistolis, tum epitaphiis celebravit, ut Adamum Wernherum a Themar [27]), Adamum a Schuuechenheim [28]), Josephum Camerarium [29]), Eobanum Hessum [30]), Joachimum Camerarium [31]), Georgium Reiffenstein [32]), Erhardum Crispum [33]), Justinianum ab Holtzhausen [34]), Philippum Halesium [35]), Georgium Comitem Erbacensem [36]); Philippum quoque et Fridericum, Comites Palatinos [37]), summis laudibus ornavit. Aliis carminibus varias Germaniae regiones, flumina, urbes cecinit, ut Mosellam [38]), Heidelbergam [39]), arcem Konigstein [40]), Argentinam [41]), Erfordiam [42]), Seligenstadium [43]), Brettam [44]), Spiram [45]),

26) Ibid. lib. IV. p. 327.
27) Ibid. lib. II. p. 147.
28) Ibid. lib. IV. p 339.
29) L. I. p. 370.
30) Ibid. lib. IV. p. 282. 420. 422.
31) Ibid. lib. III. p. 216.
32) Ibid. p. 32.
33) Ibid. p. 56.
34) Ibid. lib. IV. 293. 359.
35) Ibid. lib. III. p. 249.
36) Ibid. p. 579.
37) Ibid. lib. IV. p. 341—345. lib. IV. p. 455.
38) Ibid. lib. I. p. 12.
39) Ibid. p. 18. 20.
40) Ibid. p. 36.
41) Ibid. p. 58.
42) Ibid. p. 59.
43) Ibid. p. 64.
44) Ibid. lib. II. p. 141.
45) Ibid. p. 156.

Lycaeum fontem prope Heidelbergam [46]), montisque „omnium sanctorum" Heidelbergensis regiones amoenissimas [47]). Atque in illo opere, quod Sylvarum nomine inscriptum esse supra diximus, complura carmina, quae animi affectionibus optimo ac nobilissimo viro quam maxime dignis excellunt, continentur. Sic amicitiae virtutem laudibus effert [48]), de temporum suorum calamitatibus conqueritur [49]); mundum conditum, leges decem tabularum, Christum, diem Christi natalem precesque ab eo praeceptas, lapsum et redemtionem hominis, summam Evangelii versibus celebravit [50]), aliquot Davidis psalmos latinis versibus reddidit [51]): uxori liberisque defunctis epitaphia pulcherrima dicavit [52]), religionem et literas laudat [53]), amore erga Principes puro et sincero commotus adventum Caroli V. [54]), et „electionem" Ottonis Henrici, Comitis Palatini [55]) gratulatur, resque prioribus temporibus gestas sine ira et studio prosequitur sive laudando sive vituperando. Epigrammata quoque in imagines Imperatorum Romanorum, Graecorum, qui Gothorum et Longobardorum temporibus, „Gallicorum", qui post Alexii caedem Constantinopoli regnaverunt, Germanicorum, qui translato Imperio ad Francos et Saxones, atque eorum, qui post interregnum et exstinctos „Suevorum" principes hac dignitate functi sunt, in iisdem Sylvarum libris reperies [56]). Epigrammatis his Imperatorum vitae et res gestae aut tetrastichis aut distichis expressae continentur.

Inveniuntur et alia haud injucunda lectu, ut in Virgilii carmina περιοχαὶ [57]), in Sophoclis [58]) et Arati [59]) praelectiones, prologus in Terentii Andriam [60]) et Adelphos [61]), epistola ad Philippum Me-

46) Ibid. lib. IV. p. 294.
47) Ibid. lib. III. p. 220.
48) Ibid. lib. IV. p. 430.
49) Ibid. lib. I. p. 82.
50) Ibid. lib. III. p. 229. lib. V. p. 477. 498. 504. 505. 508.
51) Ibid. lib. V. p. 512—574.
52) Ibid. lib. I. p. 58. lib. IV. p. 326—328.
53) Ibid. lib. IV. p. 271.
54) Ibid. lib. II. p. 101 sqq.
55) Ibid. lib. III. p. 267 sqq.
56) Ibid. lib. IV. p. 381—420.
57) Ibid. p. 283—286.
58) Ibid. p. 304—306.
59) Ibid. p. 303. 304.
60) Ibid. p. 438.
61) Ibid. p. 439.

lanchthonem [62]) scripta, qua et vitae suae rationes, urbis nostrae et incolarum virtutes et studiosae juventutis mores libere sciteque depingit [63]).

Varia etiam poëmata more epigrammatico conscripta, e Graeco sermone in Latinum conversa, edidit. Epigrammatis exemplum [64]) ex Athenaeo afferimus:

NOX ET DIES.

Sunt geminae in magno quo vivimus orbe sorores,
Partu quas uno sustulit una parens;
Hae simul aequales cum sint aetatibus ambae,
Et paribus numeris tempus utramque premat.
Alternis tamen haec paritur, parit illa sororem,
Filia fitque eadem, quae modo mater erat.

Denique Graeca quoque epigrammata praestantis ingenii poëta composuit, quae quum Joachimus Camerarius vidisset, dignissima habuit, quae typis exscriberentur; itaque illa cum suis et veterum poëtarum carminibus edidit, Basil. anno 1538, 8., et cum in diem plura succrevissent, mox in peculiari opere una cum Latinis, Vitemberg. anno 1542. 8. [65]) vulganda curavit.

Ex quibus duo, unum de Musis [66]), alterum de noctua [67]) hîc proferre libet:

ΜΟΥΣΑΙ.

Ἄλλα μὲν ἀνθρώπων τοῖς ἄλλοις πράγματ' ἀρέσκει,
Πιερίδων δέ τ' ἐμοὶ δῶρα γένοιτο θεῶν,
Μουσάων τέκνων Διὸς οὐρανὸν εὐρὺν ἐχουσῶν.
Πάντα χρόνος φθείρει, ταὶ δὲ μένουσιν ἀεί.

ΓΛΑΥΞ.

Γλαὺξ μὲν ἐγὼ κότος ἀργαλέος πάντ' ἔθνεϊ πτηνῶν,
Θυμὸν ἀνίκητον στήθεος ἐντὸς ἔχω,
Ὁππότε τοὺς ἄλλους γλυκερὸς περιβάλλεται ὕπνος,
Ἡμετέρης ἄγρης δῶρα μέγιστα φέρω.

62) Ibid. lib. I. p. 16—25.
63) Conf. supra p. 26 sqq.
64) Sylvv. lib. IV. p. 287.
65) Lizel. l. l. p. 57.
66) Sylvv. lib. IV. p. 452.
67) Ibid. p. 453.

J a c o b i M i c y l l i scriptorum index.

De re metrica libri III. Ed. castigatior. Cum praefat. Phil. Melanchthonis. Francof. ad Moen. apud Egenolph. 1535. 8. Ibid. 1539. 8. s. l. apud hered. Christ. Egenolph. 1561. 8.

Ratio examinandorum et componendorum versuum methodica. Attextum est *Ulrici Hutteni* de arte versicatoria carmen heroicum. Item carminum ad veterum imitationem artificiose componendis praecepta *G. Sabini.* Francof. apud Egenolph. 1535. 8.

Ratio examinandorum versuum ad usum et exercitationem puerorum composita. Francof. apud Egenolph. 1539. 8. Ibid. 1542. 8. Magdeb. ex offic. Melch. Lotter. 1547. 8. Norimb. 1552. 8. Francof. 1556. 8. Ibid. 1569. 8.

Elementa prosodiae Jac. Micylli, Eobani Hessi et Jo. Murmelii, in unum libellum congesta per M. Jo. Dinckel. Mulhus. 1584. 8 — *Riccioli* quoque in libro, qui est de „prosodia reformata" Mogunt. 1659. 8. p. VI. Jacobi Micylli elementa prosodiae commemorat.

Terentiani Mauri de literis, syllabis, pedibus et metris carmen ad Bassinum filium et generum Novatemum: emendavit post Georg. Merulum, Jan. Parrhasium et Nicol. Brissaeum Jac. Micyllus. Francof. apud Egenolph. 1532. 4.

Jo. Boccatii de genealogia deorum libri XV. Cum annotationibus Jac. Micylli. Ejusdem de montium, sylvarum, fontium, lacuum, fluviorum, stagnorum et marium nominibus liber I. Cum indice. Basil. apud Hervag. 1532. F. Francof. 1539. 8. Ibid. 1561. 8.

Phil. Melanchthonis Grammatica Latina. Cum variorum notis. Francof. apud Egenolph. 1540. 8.

Arithmeticae logisticae libri II. ex diversis ejus artis scriptoribus collecti, et exemplis plurimis, iisdemque utilissimis nuper illustrati per Jacobum Micyllum. Basil. per Joannem Oporinum s. a. (1533). 8.

P. Ovidii Nasonis opera quae vocantur amatoria cum doctor. viror. commentariis. His access. Jac. Micylli annotatt. Ejusdem Micylli locor. aliquot ex Ovidiana metamorphosi retractio. Basil. apud Hervag. 1543. 1549. 1550. 3 voll. F.

— opera ex recognit. Jac. Micylli. Francof. 1599. 3 voll. 8.

— Heroidum epistolae. Amorum libri III. De arte amandi libri III. De remedio amoris libri II. Fastorum libri VI. Tristium libri V. De Ponto libri IV. Dirae in Ibin. Halieuticon fragmentum. Metamorphoseon libri XV. Ex postrema Jac. Micylli recognitione et recensione nova Gregor. Bersmanni, cum ejusdem notationibus. Lips. apud Jo. Steinmann. 1582. 3 voll. 8.

— Heroides, Ibis, ars amandi, ad Liviam, de Nuce, Remedia amoris, Medicamina faciei, Pulex, Philomela, fragmenta epigrammatum, ad Pisonem, Halieutica ex postrema Jac. Micylli recognitione. Francof. 1532. 8.

— Heroidum epistolarum liber. Una cum aliis ejusdem poëtae opusculis. Ex postrema Jac. Micylli recognitione. Colon. 1564. 8. Francofurt. apud Corvin. 1567. 8. Ibid. 1571. 8. Ibid. 1578. 8. Ibid. 1582. 8. Ibid. 1599. 8.

— Metamorphoseon libri XV cum commentariis Raph. Regii. Adjectis etiam annotatt. Jac. Micylli nunc primum in lucem editis cum locupletiss. indice. Basil. apud Hervag. 1543. F.

— Fastorum libri VI. Tristium libri V. De Ponto libri IV. In Ibin. Cum commentariis Ant. Constantii, P. Marsi, Barth. Merulae, Domit. Calderini, Zarotti, multo quam hactenus usquam et elegantius et emendatius excusis. His access. enarratt. Viti Amerpachii, Jac. Micylli et Phil. Melanchthonis annotatt. cum locuplete indice. Basil. 1550. F.

C. Jul. Hygini fabularum liber. *Ejusdem* poëticon astronomicon libri IV., quibus access. Palaephat. de fabull. narrat. liber. F. Fulgentii Planciadis mytholog. libri III. *Ejusdem* de vocc. antiqq. interpret. lib. I. Arati phaenom. fragm. Germanico Caesare interprete. *Ejusdem* phaenomena Gr. cum interpret. Lat. Procli de sphaera liber Gr. et Lat. Cura Jac. Micylli. Basil. 1535. Edit. alt. F.

Albricus Philosophus de deorum imag. Ibid. 1549. F. Ibid. 1570. F.

M. Valer. Martialis epigrammata recens ab omni verborum obscoenitate expurgata et in locos circiter LXXX digesta ac plerisque in locis emendata per Conrad. Gesnerum. Access. Jac. Micylli in Mart. epigrammata annotationes. Tigur. 1544. 8.

M. Annaei Lucani de bello civili libri X. cum scholiis integris quidem Jo. Sulpitii Verulani, certis autem locis etiam Omniboni

una cum annotationibus quibusdam adjectis Jac. Micylli. Francof. apud. Egenolph. 1538. F. Ibid. 1551. 4.

C. *Cornelii Taciti* opera latina, cum versione Germanica *Jac. Micylli*, Rectoris Francofurdiensis ac Professoris deinde publici Heidelberg. Cum indice nominum, verborum ac sententiarum locupletiss. et exactiss. Excudebat Nicol. Hoffmannus sumptibus Jonae Rosae. Francof. 1612. 8.

Euripides poëta, tragicorum princeps, in Latinum sermonem conversus etc. auctore Casp. Stiblino. Access. Jac. Micylli de Euripidis vita ex diversis auctoribus collecta; item *de Tragoedia et ejus partibus* prolegomena. Basil. per Oporin. 1562. F.

Luciani Samosatensis opera, quae quidem extant, omnia, e Graeco sermone in Latinum, partim jam olim diversis auctoribus, partim nunc demum per Jac. Micyllum, quaecunque reliqua fuere, translata. Cum argumentis et annotationibus ejusdem. Francof. apud Egenolph. 1538. F. Ibid. 1543. F. Paris. 1546. F. Lugd. 1549. F. Paris. 1615. F.

Homeri Ilias et Odyssea cum scholiis Graecis, Porphyrii Homericarum quaestionum libro, et opusculo de antro Nympharum graece ex recognitione Jac. Micylli et Joach. Camerarii. Basil. apud Hervag. 1541. F. Deinde apud Oporin. 1551. F. Ibid. 1554. 4.

Homeri interpretationes aliquot metricas reperies in Micylli libro IV. Sylvv. p. 443 sqq. atque in Deliciarum poëtarum Germanorum per Ranutium Gherum, sive, qui idem est, Janum Grutherum editarum parte IV. p. 830 sqq. Francof. 1612. 12.

Titi Livii des aller redtsprechsten vnnd hochberühmpsten geschichtschreibers Römische historien mit etlichen newen translation aus dem latein, so kurtz verschinen Jaren zu Meyntz im hohen Thumbstifft, sampt nun dem vierdten theil der Römischen historien aus fünff lateinischen büchern Livii ietzt newlich im closter (Lorsz genannt) erfunden, gemeinen nutz zu gut hie zu gethon im MDXXXIII Jar verteutscht, zwey durch Nicolaum Carbachium, die ander drei durch Jacobum Micyllum. Vnnd dem rechten Latein nach ietzundt mit gantzem Fleiss (wo vnnd sovil es von nöten gewest) besichtiget, gebessert vnnd gemert worden. Weliche allen Rittermässigen, gewaltigen, regiern der Landt vnnd Stett, so sich inn tugent, mannheyt oder ritterlichen thatten vnderstehn zu üben, nit allein zu lesen lustig, sonder jnen, auch eynem ieden menschen gemeynes standts vast nützlich vnnd zu wissen noth seindt. Gedruckt zu Meyntz durch Ivonem Schöffer. Mit keyserlicher freyheyt im Jar MDXXXIII. In extremo libro: Gedruckt in der löblichen vnnd churfürstlichen

statt Meyntz durch Ivonem Schöffer. Vollendet am XXVIII. tag des monats Martii als man zalt nach der Geburt unsers lieben Herren Jesu Christi M. D. XXXIII. Jar. F.

Repetita est haec editio Moguntiae ann. 1541. 1546. 1551. 1557 atque Argentorati ann. 1568. F.

Der Römischen Keyser Historien von den abgang des Augusti an: bis auff Titum vnnd Vespasianum von Jar zu Jaretc. Item das büchlein von der alten Teutschen brauch vnnd leben auch durch denselben *Cornelium Tacitum* beschrieben. Getruckt Meyntz bey Ivo Schöffern mit keyserlicher freiheyt im Jar M. D. XXXV. In extremo libro: Gedruckt in der löblichen vnnd churfürstlichen statt Meyntz bey Jvo Schöffer, vollendet am zehenten tag des monats Marcii als man zalt nach der Geburt vnsers lieben Herrn Jesu Christi M. D. XXXV. F. — Haec editio est repetita Francofurti ann. 1612. 8.

Jac. Micylli Argentoratensis Sylvarum libri V. Quibus accessit Apelles Aegyptius, seu calumnia, antehac, ut cetera pleraque nondum edita. Ex offic. Petri Brubachii. s. l. (Francof.) 1564. 8.

Haec *Micylli* carmina reperiuntur et in Deliciarum poëtarum Germanorum P. IV. p. 515 sqq. Francof. 1612. 12.

Epicedia in Petr. Mosellanum [1]) et in Guil. Nisenum [2]). Vitemb. 1524. 8.

Jac. Micylli hodoeporicon [3]), epicedium Mosellani et alia, edente cum praefat. Phil. Melanchthone. Vitemb. 1527. 8.

Legitur *Micylli* hodoeporicon cum praefatione Melanchthonis etiam in farragine aliquot epigrammatum Phil. Melanchthonis et aliorum quorundam eruditorum ed. Joan. Reifenstein. Haganoae per Jo. Secerium. 1528. 8., et in Jac. Micylli libris III. de re metrica, cum praefat. Melanchth. ad Justinianum ab Holtzhausen, senatorem Francof. Francof. 1561. 8., atque in libro, qui inscribitur: hodoeporica s. itineraria, a diversis clariss. doctisque viris, tum veteribus, tum recentioribus carmine conscripta. Francof. 1575. 8. p. 133 sqq.; praeterea in hodoeporicorum sive itinerum totius fere orbis libris VII. Opus histor. etc. a Nic. Reusnero jam olim coll.; nunc demum Jer. Reusneri cura editum. Basil. 1580. 8. Ibid. 1592. 8. Eodem in libro reperitur

1) Sylvv. lib. I. p. 10 sqq.
2) Ibid. p. 1.
3) Ibid. lib. III. p. 191 sqq.

item: Jacobi Micylli ad Joannem Mylaeum J. C. προτομικὴ Italica [4]).

Psalmus 118. ex ipsius M. Lutheri scholiis, praeterea XVII alii Latino carmine redditi per Helium Eobanum Hessum. — Jac. Micylli psalmi duo [5]). E schola Norica. 1530.

In adventum Imperat. Caroli V. urbis Francofurdii gratulatio [6]). Lips. 1530. 8.

Jac. Micylli epithalamium in nuptias Friderici Comitis Palatini et Dorotheae Cimbr. reg. filiae [7]). Basil. apud Hervag. 1536. 4.

Narratio stragis Heidelbergensis edita a disjecta turri veteris arcis, in quam fulmen adactum fuisset, exposita epistola Jac. Micylli [8]), praemissa epistola quadam Joach. Camerarii, cui Micyllea respondet. Tubing. per Ulric. Morhard. 1537. 8.

Reperitur item in volumine, quod inscribitur Opus historiarum nostro saeculo convenientissimum etc. Basil. 1541. 8. p. 263 — 278.

Elegia de duobus falconibus et pica [9]). *Epigrammata de iisdem* [10]). Francof. apud Egenolph. 1539.

Epigrammata veterum poëtarum, cum epitaphiis et epigrammatis Joachimi Camerarii et Jacobi Micylli. Basileae apud Hervag. 1538. 8. Vitemberg. 1542. 8.

Epigrammata in icones Imperatorum [11]). Argentor. 1544. 8. et Lugd. s. a. 8.

Imperatorum et Caesarum vitae cum imaginibus ad vivam effigiem expressis. Huic editioni additi sunt cum icunculis et elencho versus Ausonii, Micylli et Vellei, poëtarum paucis historiam complectentes. Lugd. 1550. 8.

Epitaphium Jo. Mylaeo compositum a Jac. Micyllo [12]) legitur in Nic. Cisneri epist. ad Jac. Micyllum de obitu Jo. Mylaei. Lugd. apud Seb. Gryph. 1565. 4.

---

4) Ibid. lib. IV. p. 280 sqq.
5) Ibid. lib. V. p. 512 sqq.
6) Ibid. lib. II. p. 101 sqq.
7) Ibid. lib. p. 109 sqq.
8) Ibid. lib. III. p. 216 sqq.
9) Sylvv. lib. III. p. 240 sqq.
10) Ibid. p. 244.
11) Ibid. lib. IV. p. 381 sqq.
12) Ibid. p. 352.

Canis [13]), *Simius* [14]), *Cerevisia et Umbra* [15]). — Haec carmina satyrica reperiuntur item in opere, quod inscribitur: Casp. Dornavii amphitheatrum sapientiae Socraticae joco-seriae. Hanoviae typ. Wechelian. 1619. Tom. I. p. 518. 588. 539. 628 699. F.

Nonnulla Micylli carmina sunt in Adami Siberi enchiridio pietatis puerilis. Lips. 1554. 8. Basil. 1561. 8.; in Aegidii Periandri Germania. Francof. 1567. 8.; in Nic. Reusneri iconibus s. imaginibus virorum literis illustrr. Argentor. 1593. 8.; in Hieron. Freyeri fasciculo poëmatum Latinorum. Hal. Sax. 1713. 8.

Apelles Aegyptius, seu calumnia, fabula scenica [16]). Norimb. 1583. 8.

Apelles, eine schöne historia wider die Verleumbder, erstlich von Luciano griechisch beschrieben, nachmals von Micyllo lateinisch Comedienweis gemacht, jetzt in deutsch Reimen gefasset durch Jacob. Cornerum. Frankf. b. Basse. 1589. 8.

---

13) Ibid. p. 436 sqq.
14) Ibid. p. 375 sqq.
15) Ibid. p. 287.
16) Sylvv. p. 575 sqq.



